

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



K. Wilhelms-Gymnasium in Berlin.

Schuljahr 1892/93.

Jahresbericht

von dem

Direktor Professor Dr. O. Kübler.

Voran:

Aesopus Latinus

von dem

Oberlehrer Herrn Dr. Hans Draheim.

Berlin, 1893.

Buchdruckerei von Trowitzsch & Sohn.

Leipziger Strafse 133.

1893. Progr. Nr. 66.

Constantius fund.

AESOPUS LATINUS.

PRAEFATUS EST RECENSUIT

IOANNES DRAHEIM.

Poetam tibi, Lector candidissime, saeculi duodecimi commendo si non ingeniosum tamen lepidum nitidumque, qui Phaedri fabularum collectionem illam medio aevo vulgatissimam binis versibus circumscripsit, cuius ego carmen ut restituere conarer, Phaedri et Aviani fabulas perscrutans commotus sum. Anonymus vulgo dicitur, eo enim nomine Neveletus anno 1610 versus eius typis expressit. Ego Guericium vel Gauterium nomen ei fuisse cur opiner, infra docebo: hic ut qualis fuerit scias, de arte eius quaedam commonebo.

Iocosum est eius dicendi genus, dulcius enim arrident, inquit, seria picta iocis. Quam ob rem multis verborum sententiarumque figuris orationem ornavit, anaphora asyndeto traductione aliis, ut ‚Dum rigido fodit ore fimum, dum quaeritat escam' vel ‚Sic nocet innocuo nocuus'; antithesis et paronomasia passim inveniuntur nec raro metonymia, ut ‚Aedem commodat et mensam, mensaque mente minor, in tenui mensa satis est immensa voluntas'. Sic lusit ille nec tamen gravitate caret: graves enim sunt sententiae tales ‚Discat in auctorem poena redire suum' ‚Sic pereant, qui se prodesse fatentur et obsunt'. Quo factum est, ut unum alterumque versum etiam nunc homines memoria teneant, haud sine fructu, credo, velut hunc ‚Si quid agis, prudenter agas et respice finem'.

Transeo ad metricam artem, qua multos medii aevi poetas hic superavit. Simillimus eius est versus Hildeberti archiepiscopi Turonensis carminibus, quae ille circa annum 1110 scripsit, De ornatu mundi, Physiologo, aliis, quae anno 1708 Parisiis edita sunt labore et studio Antonii Beaugendre, neque dubito quin Hildebertum imitatus sit. Ovidiana fere volubilitate versus decurrit, ut nonnunquam verbosum poetam esse dicas. Sic factum esse puto, ut ab Henrico Bebelio (Qui auctores legendi sint ad eloquentiam comparandam) carmen ‚nulla venere et lepore' haberetur. In syllabarum quantitate vix unquam peccatur; nam quod o vocalis corripitur in coniugatione et in adverbiis et in nominativis, non est quod miremur. Eam enim rem, ut alios omittamus, Ioannes Huemer in praefatione quam ad Hugonis Ambiavensis carmina scripsit (Vindobonae a. 1880) tractavit nuperque Carolus Lohmeyer in Guilelmi Blesensis Aldae comoediae indice (Lipsiae anno 1892). Ceterum ab eo carmine, quod propter scriptoris vitam condicionemque vinculo quodam cum nostro coniunctum est, elisionis usu prorsus alienum est, elisio enim illic plurima est, hic omnino vitatur, nisi forte XVIII 9 vinci elidi credas. Qua in re Leopoldus Hervieux editor diligentissimus IX 4 erravit, neque XVII 9 hiatum admittere debuit. In versibus autem componendis caesura plerumque usus poeta est semiquinaria, qua in caesura sicut in semiseptenaria et in pentametro medio syllabam ancipitem habet. Pentametri in vocem bisyllabam exeunt, quam legem ab antiquis poetis acceptam Eberhardus Bethuniensis, qui aetate non ita multum distat — graecismum enim scripsit

Anno milleno centeno bis duodeno

h. e. 1212 — in Labyrintho his versibus exponit (III, 240)

Pentameter praeter disyllaba cuncta relegat
Sedis postremae de regione suae.

Opusculum ipsum proxime ad Romuli fabellas accedit, quas ex Phaedri libris confectas esse constat. Nam ut Phaedrus ipse per medium aevum latuit — neque enim in bibliothecarum catalogis invenitur, quam rem post Theodorum Gottlieb (Über mittelalterliche Bibliotheken) M. Manitius in Musei Rhenani t. 47 supplemento tractavit, neque Egberto Leodicensi (Fecunda ratis) notus fuit, quod in Iwani Muelleri annalibus 1891 II (68 p. 212 sq.) demonstravi, neque ab Eberhardo illo commemoratur neque in Hugonis Trimbergensis Registro — ita fabulae eius sermone soluto conscriptae ad instituendos pueros passim adhibitae sunt. Ac vetustissimam quidem collectionem codex Wisseburgensis nunc Guelferbitanus inter Gudianos numero 148. a Ludovico Trossio descriptus exhibet, qua de re Hermannus Oesterley (Romulus, Berolini a. 1870 p. XII) accuratissime egit. Scriptus est initio saeculi X hisque verbis incipit ‚Magistro Rufo Aesopus salutem'. Hunc sequitur Britici musei codex Burneianus 59. eodem saeculo scriptus, in quo alius est fabularum ordo, alius sermonis tenor. Hic est eorum qui Romulum continent antiquissimus. Eiusmodi codicem ante oculos habuit Guericius ille, qui metricum Aesopum latinum composuit. Omisit, ut erat bene moratus, Romuli de Venere narrationem, quam ob rem sapientia eius a Steinhoewelo (post f. 47) iure laudatur (besonder der wys tichter der latinischen vers).

Carmen adeo placuit ut saepius describeretur aliisque poematis augeretur. Leopoldus Hervieux (Phèdre et ses imitateurs I, Parisiis anno 1884) codices non minus XXIII Gallicos, totidem in Germania adservatos, XXI Anglicos, XVII denique Austriacos Belgicos alios enumerat, quibus ex Wendelini Foersteri editione (Bibliothecae gallicae antiquae tomo V. Heilbronnae 1882) duos, Cracoviensem et Mellicensem, adicio. Praeter hos Erlangensis quidam liber commemorandus est, de quo plura dicenda erunt. Quorum omnium non ea est ratio, ut unus ex altero quasi derivari possit, sed ex duobus aut tribus saepe unus confectus esse videtur aliis lectionibus receptis aliis reiectis aliis denique correctis aut politis. Testes praeterea sunt interpretationes versionesque antiquae ut liber soluta oratione scriptus Sancti Victoris saeculi XIII, quem Leopoldus Hervieux (Phèdre II) edidit, ut Gallica versio, quae pretiosissimo codice Lugdunensi Bibliothecae academicae n. 57 continetur, quam eodem fere tempore descripserunt Wendelinus Foersterus noster et Leopoldus Hervieux, testes sunt Eberhardus Bethuniensis et Hugo Trimbergensis. Hic in Labyrintho haec habet (III. tract. v. 5 sqq.)

Semita virtutum cautus Cato regula morum
  Quem metri brevitas verba polire vetat.
Veri cum falso litem Theodolus arcet,
  In metro ludit theologia sibi.
Instruit apologis trahit e vitiis Avianus,
  Sed carmen venit pauperiore stilo,
Aesopus metrum non sopit, fabula flores
  Producit, fructum flos parit, ille sapit.

Adscriptus est in codice quodam Leyseri (Historia poetarum medii aevi p. 795) hic versus qui passim in Aesopi exemplaribus legitur:

Ysopus est herba, sed Aesopus dat bona verba.

Hugo autem scholarchus Bambergensis anno 1280 in registro quod Ioannes Huemerus Vindobonae a. 1888 edidit v. 700 sqq. sic scribit

  Catonem in ordine sequitur Esopus,
  Clara cuius carmina lucent ut pyropus.
  Fertur is in Frigia quondam floruisse
Et fabularum carmina dulcia finxisse
  ‚Ut iuvet et prosit, conatur pagina praesens:
  Dulcius arrident seria picta iocis etc'.
Hunc sequitur per avia stolpus Avianus
  Inque suo carmine blaterans et anus,
  Qui scribendo meruit vappam et lupinum,
  Esopus triticeum panem atque vinum.

Apparet, cur utrumque locum adscripserim: scilicet ut fixam quandam certamque Aesopi aestimationem fuisse intellegatur. Ceterum cum aliis poetis qui simul laudantur

Aviano Catone Theodolo saepe in libris manuscriptis coniunctus est. Auctas autem vel puerorum studiis accommodatas esse fabulas unusquisque fere codicum docet. Interpretationes passim suprascriptae inveniuntur, hoc illud distichon additur, totae fabulae subiciuntur. Adiecticias fabulas Leopoldus Hervieux XIV exhibet, quas etsi omnes ab eodem poeta scriptas esse negare non possum, tamen in Aesopicum opus admittendas non esse patet. Integro sinceroque libro usus est Bonerus: is saeculi XIV. initio fabulas in nostrum sermonem metrice transtulit atque ita transtulit, ut propter sermonis sinceritatem a Gellerto haud contemnendo fabularum iudice maxime laudaretur. Si quis vero dubitet, utrum ex Aesopo latino an ex alio carmine an ex Romulo ipso Bonerus verterit, is si trium quatuorve fabularum verba sententiasque comparaverit vel ipsum fabularum ordinem inspexerit, mecum consentiet. Atque Boneri Gemma quod prima in Germania typis expressa est, honorem eum esse praemiumque Aesopi latini iudico. Addidit autem Aviani aliquot fabulas, quas quin in eodem codice invenerit non dubito. Adde quod Sebastianus Brantius Aesopum cum Aviano ita edidit, ut ne nomen quidem illius adscriberet. Ceterum honor ille non ultimus fuit Aesopi latini, nam paulo post Gemmam impressam Steinhoewelus celeberrimum illud fabularum corpus composuit, quod quoties exeunte XV. saeculo sequentisque initio repetitum sit, vix unquam certo enumerari poterit. Continet Romulum et Aesopum cum versione Germanica, praeterea alias fabulas et narratiunculas. Hanc editionem Aesopi principem Hermannus Oesterley Tubingae (Bibliothek des literarischen Vereins zu Stuttgart, tom. 117) a. 1873 diligentissime iterandam curavit omissis quidem figuris, quibus etiam librum unum alterumve manuscriptum ornatum fuisse Foersteri codicis Lugdunensis descriptio docet. Ex ceteris editionibus, quas Leopoldus Hervieux (I p. 541—560) enumerat — Steinhoewelianam quidem omisit —, unam a. 1480. Lugduni per Iohannem Fabri impressam commemoro, quae cum alia tum Catonis et Theodoli, quos supra nominavi, poemata continet ipsiusque Theodoli editio princeps habenda est, cuius carmen Beckius (Sangerhusiae a. 1836) anno 1488 primum esse typis vulgatum arbitrabatur. Redeo ad Steinhoewelum, ex cuius libro cum alii tum Sebastianus Brantius et Martinus Lutherus hauserunt. Brantius ut erat acerrimus vitae morumque hominum contemplator idemque poesis latinae amantissimus, Aesopi et Aviani fabulas edidit, aliarum quas Steinhoewelus exhibuerat argumenta metrica adiecit. In manibus habui exemplar editionis a. 1501. Ex tanta fabularum quae passim ferebantur mole verum Aesopum quasi enucleare ac restituere Lutherus sibi proposuit nec tamen opus, quod anno 1530 incohavit, ultra tredecim primas Aesopeas fabulas transduxit, quas Germanice versas cum praefatione edidit. Tractatissima credo fuisse omnium quas demonstravi editionum exemplaria. Exeunte enim saeculo XVI. ita rarescebant editiones evanescebantque, ut Rigaltius Phaedri fabularum editor Aesopi codice perlecto tamquam novi aliquid se reperisse putaret. Postero saeculo Neveletus quem supra commemoravimus fabularum Graecarum Latinarumque collectionem Francofurti a. 1610 edidit, in qua sine auctoris nomine fabulae Aesopeae Latinae sic leguntur, quasi tum primum in codice quodam Palatino repertae sint.

Ex eo tempore Guericium nostrum viri docti Anonymum Neveleti appellare solent, cuius verum nomen diu latuit. Codices autem alii aliam nominis formam habent; in codice Parisino Bibliothecae nationalis 8023 Garritus legitur, in alio quodam Parisino 8259 Galfredus scriptum esse dicitur, in codice quodam olim Mellicensi Waltherus, in Escuriali A. 163 Garicius, quae nomina Hermannus Oesterley (Romulus p. XXIV) enumerat. Cum Mellicensi illo Monacensis codex Latinus 5942 consentit, in quo hoc scriptum est ‚Apologi vel fabulae Aesopi; quidam asserunt magistrum Galtherum composuisse'. Quod vero Ugobardus Sulmonensis in eo libro Haenelii appellatur, quo Dresslerus usus est, non magni momenti est, nec Hildeberti, de quo supra egimus, nomen quod Endlicherus anno 1836 (Catalogi p. 159) legisse videbatur in codice Vindobonensi latino 303 inest. Immo haec fuerat Doceni coniectura in Diurnis litterariis Jenensibus a. 1812 promulgata, qua de re Wendelinus Foersterus anno 1882 accuratissime egit. Neque tamen Foersterus verum poetae nomen inveniri posse arbitrabatur. Ne Galfredi quidem nomen confirmatur, nam in codice Parisino illo, si Leopoldum Hervieux sequimur, nihil eiusmodi invenitur, in alio Parisino Bibliothecae

nationalis latino 11 344 Gauffredi nomen non poetae sed scribae esse videtur. Restant tria nomina, ex quibus Leopoldo Hervieux Garritus et Garicius displicent, quasi non propria sint, sed fabulatoris loquacis indolem significent. Neque hoc prorsus negandum est, si Magistri Faceti nomen comparamus quod apud Hugonem Trimbergensem commemoratur. Sed ego Erlangensis codicis 849 auctoritatem addo, quippe cuius versui extremo Guericii nomen intextum sit. Hunc equidem inter optimos numerandum esse censeo: quem quod mihi Bibliotheca Regia Universitatis Litterariae Erlangensis evolvendum commisit, gratias ago quam plurimas.

Redeo ad Leopoldum Hervieux. Is non dubitat quin Gualterus Anglicus Henrici II. Anglici regis capellanus generique eius Guilelmi utriusque Siciliae regis praeceptor ‚pro Latinae linguae exercitiis' — ut ait Iohannes Baleus in scriptorum illustrium Maioris Britanniae catalogo (Basileae 1557 et 1559) — disticha illa composuerit, scilicet paulo ante annum 1177, quo Guilelmus Ioannam Anglici regis filiam in matrimonium duxit. Archiepiscopum Panormitanum eum inde factum esse Fabricius (Bibliotheca scriptorum medii aevi III p. 111) perscribit. Eisdem temporibus Guilelmus Blesensis floruit qui Aldam comoediam composuit, cuius frater Petrus Blesensis ipse quoque Guilelmi regis tum pueri praeceptor fuit. De Petro egit Polycarpus Leyserus (Historia poetarum medii aevi p. 758), de Guilelmo fratre nuperrime Carolus Lohmeyer (Aldae comoedia Lipsiae a. 1892). Magnam certe vim testimonia ab Leopoldo Hervieux adlata habent. Libri haud pauci Gualteri nomen exhibent: Monacensis, de quo diximus; Vindobonensis ille, in quo non Hildeberti nomen inest sed ipsius Waltheri (‚Incipit Esopus, quod non fuit nomen compositoris sed Waltherus. Uti autem eius liber honestius reciperetur, intitulavit eum hoc nomine; quod nomen forsan cuiusdam nobilis vel sumptum ab isopo'); Trevirensis 68, in quo haec leguntur ‚Causa efficiens fuisse dicitur Esopus qui ortus erat de Grecia, vel secundum alios Galterus Anglicus composuit sub nomine Ysopi, ut diligentius liber suus raperetur'; Cracoviensis nescio qui et Mellicensis, quorum Foersterus mentionem facit, qui ex Kropfii Bibliothecae Mellicensis descriptione (p. 45 sq.) haec affert ‚Waltheri Aesopus seu fabulae morales versu elegiaco'. Praeterea nomen in antiquissima illa Iohannis Fabri Lugdunensis editione, quam supra demonstravimus, invenitur ‚Alii dicunt, quod Galterus Anglicus fecit hunc librum sub nomine Esopi' (Hervieux I p. 544). Variae autem huius nominis formae hae sunt: Waltherus, Gualterus, Gvalterus, Galtherus, Galterus, Galterius, Gauterius, Gauthierus. Gauterium Anglicum ipse se appellat in subscriptione quadam metrica expositionis psalmorum Cassiodori, quam Leopoldus Hervieux describit. Denique per se res verisimilis est nec si codices consentirent in dubium revocaretur.

Hoc unum est, in quo offendimus. Qui enim factum est, ut pro celeberrimo archiepiscopi illius nomine alia substituerentur? Garritum autem et Garicium nomina Leopoldus Hervieux tam acriter impugnavit, quasi a scribis ficta iocique causa excogitata essent. Coniecturam olim fecerunt Vindobonensis et Trevirensis librorum auctores, quorum sententias adscripsimus, neque eam tamen, quam acciperemus, quoniam Aesopi nomen poeta apud Romulum invenit. Ego potius ipsum credo Gauterium, cum nollet iocosi carminis auctor appellari, pro nomine suo aliud nomen supposuisse. Si se Guericium appellavit — quae nominis forma a vero nomine Gauterio quo utebatur non longe distat —, facile fieri potuit, ut ficticium hoc nomen corrumperetur, nec mirum est, quod nonnunquam verum nomen ab docto aliquo homine adscriptum est. Adde quod ficticia nomina quibus poetae veteres utuntur easdem syllabas atque verum nomen habere solent. Propterea versum illum ultimum Erlangensis codicis quem in fine fabularum legimus

Explicit Aesopus Guericii stamine textus

ab ipso poeta profectum esse iudico. In codice Parisino 8023 hic versus legitur


Incipit Ysopus garriti stamine tectus.

Vides ut corruptus est. In Berolinensi Latino 87 idem ille Erlangensis versus scriptus fuit, sed sive displicuit sive non intellegebatur, tam diligenter nomen erasum est, ut ne litterae quidem vestigium supersit: ‚Explicit Aesopus . . . . te . . . .'. Sic factum est, ut ab aliis plurimis prorsus omitteretur.

Iam quaeritur, quibus ego rationibus usus post Hermannum Oesterley, Wendelinum Foersterum, Leopoldum Hervieux Gauterii vel Guericii nostri opusculum Aesopum latinum recensendum susceperim. Hermannus Oesterley Steinhoeweli editionem, cuius exemplaria iis qui his rebus student haud facile praesto sunt repetivit, itaque eius Aesopus est Steinhoeweli Aesopus, non ipse ille vetus poeta, ad quem proxime quidem Steinhoewelum accessisse minime nego. Usus enim est optimo libro scripto et caute atque accurate ipse munere suo functus est; tamen, quae erat eius operis ratio, et addidit et omisit quaedam. Addidit Romuli prosam cum versione, omisit quae apud Romulum non inveniebat. Ceterum in ipsis versibus menda sunt, quae corrigi non possunt nisi ex aliis codicibus aut editionibus. Foersterus bonis quidem libris usus est: Parisino Bibliothecae nationalis 15135, altero Parisino 8509, Guelferbitano 87, 5, Vindobonensi 303, Lugdunensibus duobus, iudicisque munere acerrime functus est neque tamen rem persolvisse videtur. Leopoldus Hervieux ut apparatum criticum uberrime describit, ita in ipso fabularum contextu unde unumquidque peteret omnino reticuit. Neuter vero codicem Erlangensem nostrum noverat, qui quam fidus bonusque sit, vel inde perspicitur, quod praeter Parisinum 15135 unus secundum Aesopi librum titulo adscripto secernit. Berolinensem quem Leopoldus Hervieux describit iterum perlegi, quippe quem quasi nostratem insalutatum relinquere nollem, Bibliothecaeque Regiae Berolinensi veniae datae gratiam debitam persolvo.

Ad corrigendum, ut ita dicam, Steinhoewelum, praeter recentiores illas duas editiones Brantio et Neveleto et codice Erlangensi potissimum usus sum. Qua in re veram scripturam ex multis eligere facilius saepe videtur, quam librorum auctoritatem sequi, nam, ut ait Hervieux, ‚tous les manuscrits, comparés entre eux, offrent d'innombrables variantes, qui ne permettent pas de parvenir avec certitude à la restitution des véritables leçons' (I p. 462). Ut XXV 4 haec leguntur: Hinc homines trepidant, Sic homines trepidant, Vicini trepidant, Cuncti iam trepidant, Horrent et trepidant, Hinc trepidant homines, Hinc fugiunt homines, Hic fugiunt homines. Apparet omnes lectiones ex prima ita ortas esse, ut partim priora verba mutarentur, partim alterum transponeretur. Quam ob rem non mirandum est, quod Brantius liberrimo arbitrio rem tractavit, menda ex coniectura correxit versusque explevit et addidit, eas Steinhoeweli fabulas, quas versibus conscriptas non invenit, ipse metrice transscripsit. Nihili igitur esset eius libellus, nisi locis quibusdam ea esset verborum structura, ut praeter Steinhoeweli editionem alio eum usum esse libro appareret, unde etiam extremas duas fabulas (59 et 60) descripsit. Neveletus, qui proximus est, nec Steinhoeweli nec Brantii libros in manibus habuit, sed Palatinum aliquem codicem, qui nunc Romae adservatur. Duobus autem vitiis eius editio laborat, quam iuvenili velocitate eum confecisse manifestum est: quae scripta invenit, ea nec diligenter legere studuit nec mutare veritus est. Adde quod menda nonnulla occurrunt typographica. Ceterum Neveleti scripturae proxime Brantianam editionem accedunt nec ab Neveleto multum codex Berolinensis de quo diximus discrepat.

Tertius liber, Erlangensis meus, medium fere locum inter Steinhoewelum et Neveletum tenet. Uberior est, quam Steinhoeweli liber fuit, quocum eum non cohaerere apparet; ab Neveleto ita differt, ut ex eo Palatinus ille descriptus esse non possit. Ac ne Brantio quidem notus fuit, cuius coniecturae multo inferiores sunt quam huius libri lectiones. Ceterum ipse quoque talia menda habet, ut aliquo intervallo a Guericii autographo distare videatur. Multis locis voces suprascriptae sunt, quae utrum explicandi an corrigendi causa additae sint, obscurum est; sunt sane inter eas, ut fit, reliquorum librorum scripturae. Similem eum esse Parisino 15135, quo meliorem non habebat Foersterus, supra demonstravimus, scilicet quod libri secundi titulum eundem haberet. Praestat, quod versum extremum, de quo egimus, integrum servavit. Huic ex Foersteri codicibus simillimus est Guelferbitanus 87, 5. Itaque si libros ignotos, unde St. (Steinhoewelus), Br. (Brantius), Nev. (Neveletus), E. (codicis Erlangensis scriba) hauserunt descripseruntque, litterulis x y z significamus, hanc habemus cognationis originisque tabulam



Hinc sequitur, ut in carmine constituendo certam viam ingredi debeamus; Brantii enim aut Neveleti scripturae Steinhoewelo non praeferendae sunt, nisi cum Erlangensi scriptura congruunt. Quibus rebus omnia adeo confirmarentur, ut coniectura vix unquam uti opus esset, nisi codices ita cohaererent, ut meliores ex deterioribus, deteriores ex melioribus correctos vel mutatos esse passim appareret. Ceterum laetatus sum, quod ex his libris plerumque idem assecutus sum atque Foersterus et Hervieux ex suis.

Versatur autem res critica non solum in versibus restituendis, sed etiam in fabularum ordine constituendo et in librorum dispositione indaganda. Quam ad rem illustrandam fabularum tabulam ex Romulo, Erlangensi, Bonero, Steinhoewelo, Brantio, Neveleto compositam adscribo. Inscriptiones fabularum in Erlangensi nullas invenimus, in ceteris tam varias, ut ab ipso Guericio profectae non esse videantur. Rubro passim colore notatae sunt, ut in Berolinensi; ex duobus plerumque nominibus componebantur, tertium vel quartum postea addebatur. Hic admonendum est in codice Erlangensi duo folia 95 et 96 perverse ligata esse, quod qui non perspexerit, magnam ipsarum fabularum perturbationem subesse credet.

Romulus	Guericius (Cod. Erlangensis)	Bonerus	Steinhoewelus	Brantius	Neveletus
Praefatio	Prologus metricus in Aesopum	—	Prol. mtr.	Prol. mtr.	Praefatio
I. 1.	De gallo et iaspide	1.	I. 1.	1.	1.
2.	De lupo et agno	5.	2.	2.	2.
3.	De rana et mure	6.	3.	3.	3.
4.	De cane et ove	7.	4.	4.	4.
5.	De cane et carne	9.	5.	5.	5.
6.	De ove et capra	8.	6.	6.	6.
7.	De fure et sole	10.	7.	7.	7.
8.	De lupo et grue	11.	8.	8.	8.
9.	De duabus canibus	12.	9.	9.	9.
10.	De homine et serpente	13.	10.	10.	10.
11.	De asino et apro	14.	11.	11.	11.
12.	De duobus muribus	15.	12.	12.	12.
II. 8.	De vulpe et aquila (14)	16.	13.	13.	13.
I. 13.	De aquila et testudine (13)	17.	14.	14.	14.
14.	De vulpe et corvo	18.	15.	15.	15.
15.	De leone et apro	19.	16.	16.	16.
16.	De asino et catello	20.	17.	17.	17.
17.	De leone et mure	21.	18.	18.	18.
18.	De duobus milvis	22.	19.	19.	19.
19.	De hirundine et avibus	23.	20.	20.	20.

Romulus	Guericius (Cod. Erlangensis)	Bonerus	Steinhoewelus	Brantius	Neveletus
II. Praef.	Prooemium libri secundi	24.	II. Prooem.	Prooem.	Similit.
1.	De ranis	25.	1.	21.	21.
2.	De columbis	26.	2.	22.	22.
3.	De fure et cane	27.	3.	23.	23.
4.	De scrofa et lupo	28.	4.	24.	24.
5.	De monte parturiente	29.	5.	25.	25.
6.	De agno et cane	30.	6.	26.	26.
7.	De cane et domino	31.	7.	27.	27.
9.	De leporibus et ranis	32.	8.	28.	28.
10.	De lupo et haedo	33.	9.	29.	29.
11.	De rustico et serpente	34.	10.	30.	30.
12.	De cervo et ove	35.	11.	31.	31.
13.	De calvo et musca	36.	12.	32.	32.
14.	De vulpe et ciconia	37.	13.	33.	33.
15.	De lupo et capite	38.	14.	34.	34.
16.	De graculo et pavone	39.	15.	35.	35.
17.	De musca et mula	40.	16.	36.	37.
18.	De musca et formica	41.	17.	37.	36.
19.	De vulpe et lupo (39)	—	18.	38.	39.
20.	De mustela et homine (38)	45.	19.	39.	40.
21.	De rana et bove	46.	20.	40.	41.

Romulus	Guericius (Cod. Erlangensis)	Bonerus	Steinhoewelus	Brantius	Neveletus
III. 1.	De leone et pastore	47.	III. 1.	41.	38.
2.	De equo et leone	50.	2.	42.	42.
3.	De equo et asino	51.	3.	43.	43.
4.	De quadrupedibus et avibus	44.	4.	44.	44.
5.	De philomena et accipitre	54.	5.	45.	45.
6.	De lupo et vulpe	55.	6.	46.	46.
7.	De cervo et venatore	56.	7.	47.	47.
8.	—	—	[8]	48.	—
9.	De muliere et marito mortuo	57.	9.	49.	48.
10.	De muliere et iuvene	—	10.	50.	49.
11.	De patre et filio	—	11.	51.	50.
12.	De vipera et lima (52)	—	12.	52.	51.
13.	De lupis et ovibus (53)	—	13.	53.	52.
14.	De homine et securi (51)	—	14.	54.	53.
15.	De cane et lupo	59.	15.	55.	54.
16.	De manibus et pedibus	60.	16.	56.	55.
17.	De simia et vulpe	—	17.	57.	56.
18.	De institore et asino	—	18.	58.	57.
19.	De cervo et bove	—	19.	59.	58.
20.	—	—	[20]	60.	—
—	De Judaeo et pincerna	61.	—	61.	59.
—	De cive et milite	62.	—	62.	60.

Praeter ea quae supra de Bonero Steinhoewelo ceteris docuimus alia ex hac tabula cognoscuntur. Primum apparet Romuli fabulam illam II 8 (De vulpe et aquila) non post Guericium sed aut ab ipso aut ante eius aetatem in librum primum transiectam esse, scilicet ut aequus esset in ambobus libris fabularum numerus. In Erlangensi codice inversus est fabularum 13. et 14. ordo, quod facile fieri poterat, si fabula illa in margine adscripta erat. Aptissimus autem videbatur hic locus ante fabulam 13, quae ipsa quoque de aquila ageret. Hunc locum in Romulo Berolinensi tenet, in quo soluta oratio una cum Guericii carminibus scripta est.

Contrarium factum est in extremo libro altero. Fabula, quae de vulpe et lupo inscribitur, a Bonero omissa est, qui ab hoc loco neque ordinem amplius accurate sequitur et alias interposuit. Apparet igitur, quod eadem tabula nostra docet, in exemplari quodam hunc locum turbatum fuisse. Quam turbationem Neveleti quoque fabularum series demonstrat. Quod vero a Bonero binae fere inde coniunctae sunt (50 et 51, 56 et 57, 59 et 60, 61 et 62), foliorum amplitudine factum est, scilicet quae binas fere amplectebatur. Iam quomodo perturbatio facta sit, codex Berolinensis demonstrat, qui fabulam extremo totius libri loco exhibet, hic autem aliam de lupo et vulpe (Guericii 46.) interseruit. Apparet ex inscriptionum similitudine hunc errorem ortum esse. Ceterum alius ex eodem fonte error fluxit: transpositae sunt et in Erlangensi et in Berolinensi fabulae 38 et 39.

Ter omnino in Erlangensi corruptus ordo est: fabula 13 post 14, fabula 38 post 39, fabula 51 post 53 insertae sunt: quae menda propter reliquorum consensum cognitu facilia sunt. Iustus vero fabularum ordo, quem in ipsa tabula perscripsi, dubius vix esse potest, quem eundem et Foersterus et Hervieux ex suis libris constituerunt. Tres autem libros Guericium confecisse et ego credo et Hervieux credidit, quorum eundem quisque narrationum numerum haberet. Argumento est codex Parisinus 15135 qui libri secundi titulum habet, quem Erlangensis quoque exhibet; argumento est ipse fabularum numerus, quem Guericius omissis spurcis illis Romuli fabellis (III 8 et 20) additis duabus illis narrationibus (59 et 60) confecit explevitque. Equidem, quia tertii libri non extat prooemium, continuos numeros adscribere malui. Fabularum inscriptiones propter varietatem nolui adicere; reliquas scripturae discrepantias singulis fabulis addidi notulis usus hisce:

E = Cod. Erlangensis 849,
St = Steinhoeweli editio,
Br = Brantii editio,
N = Neveleti anonymus,

F = Foersteri Ysopet,
P = Cod. Parisinus bibl. nat. 15135,
Π = Cod. Parisinus bibl. nat. 8509,
L = Cod. Lugdunensis bibl. acad. 57,
Λ = Cod. Lugdunensis bibl. urb. 650,
G = Cod. Guelferbitanus 87, 5,
V = Cod. Vindobonensis 303,
H = Leopoldi Hervieux editio,
B = Cod. Berolinensis.

Ex E, St, Br, N scripturam totam contuli, item ex F et H, ne quid ab iis desideraretur, quibus editiones illae non in manibus sunt; eadem de causa ex Foersteri codicibus libri Parisini P lectiones adscripsi, ceterorum eas quae cum alio aliquo consentiunt; codicis B lectionum varietas, etsi Leopoldo Hervieux haud ignota fuit neque omnino magni momenti est, tamen quia nondum publicata est hoc loco edenda esse videbatur.

PROLOGUS METRICUS IN AESOPUM.

Ut iuvet et prosit, conatur pagina praesens:
Dulcius arrident seria picta iocis.
Hortulus iste parit fructum cum flore, favorem
Flos et fructus emunt: hic sapit, ille nitet.
Si fructus plus flore placet, fructum lege: si flos
Plus fructu, florem: si duo, carpe duo.
Ne mihi torpentem sopiret inertia mentem,
In quo pervigilet mens mea movit opus.
Ut messis pretium de vili surgat agello,
Verbula sicca, Deus, implue rore tuo.
Verborum levitas morum fert pondus honestum
Et nucleum celat arida testa bonum.

I.

DE GALLO ET IASPIDE.

Dum rigido fodit ore fimum, dum quaeritat escam,
Dum stupet inventa iaspide, gallus ait:
Res vili pretiosa loco mirique decoris
Hac in sorde iaces, nil mihi messis habes.
Si tibi nunc esset qui debuit esse repertor,
Quem limus sepelit viveret arte nitor.
Nec tibi convenio nec tu mihi, nec tibi prosum
Nec mihi tu prodes: plus amo cara minus. —
Tu gallo stolidum, tu iaspide pulchra sophiae
Dona notes: stolido nil sapit ista seges.

Prologus metricus. 1. Et *Br.* iuvat *E.* ut *G. N. H.* [et *Hugo Trimbergensis reg.* 704.] — 3. favorum *E.* saporum *Br.* — 4. flos simul et fructus *Br.* — 5. fructus lege *B.* — 7. sensum *G. N.* — 8. pervigile *Br.* — 11. lenitas *N.* —

I. 1. Cum *B.* — 3. variique *B.* natique *N. F.* nitidique *H.* nitoris *F.* — 4. iacens *F. H.* — 6. Quem fimus hic *Br.* — 9. Ut gallo iaspis stolido sic dona *Br.* dona sophiae Pulchra *E. St. N.* — 10. Proficiunt *Br.* placet illa *St.* illa seges *Br.* iste cibus *N.* —

II.

DE LUPO ET AGNO.

Est lupus, êst agnus: sitit hic, sitit ille: fluenti
Limite non aequo quaerit uterque viam.
In summo bibit amne lupus, bibit agnus in imo.
Hunc timor impugnat verba movente lupo:
Rupisti potumque mihi rivoque decorem.
Agnus utrumque negat se ratione tuens:
Nec tibi nec rivo nocui, nam prona supinum
Nescit iter nec adhuc unda nitore caret.
Sic iterum tonat ore lupus: Mihi damna minaris.
Non minor, agnus ait. Cui lupus: Immo facis,
Fecit idem tuus ante pater sex mensibus actis:
Cum bene patrisses, crimine patris obi.
Agnus ad haec: Tanto non vixi tempore. Praedo
Hic tonat: An loqueris, furcifer? huncque vorat. —
Sic nocet innocuo nocuus causamque nocendi
Invenit: hi regnant qualibet urbe lupi.

III.

DE RANA ET MURE.

Muris iter rumpente lacu venit obvia muri
Rana loquax et opem pacta nocere cupit.
Omne genus pestis superat mens dissona verbis,
Cum sentes animi florida lingua polit.
Rana sibi murem filo confoederat, audet
Nectere fune pedem, rumpere fraude fidem.
Pes coit ergo pedi, sed mens a mente recedit.
Ambo natant, trahitur ille, sed illa trahit.
Mergitur, ut secum murem demergat: amico
Naufragium faciens naufragat ipsa fides.
Rana studet mergi, sed mus emergit et obstat
Naufragio, vires suggerit ipse timor.
Milvus adest miserumque truci rapit ungue duellum:
Hic iacet, ambo iacent, viscera rupta fluunt. —
Sic pereant, qui se prodesse fatentur et obsunt:
Discat in auctorem poena redire suum.

IV.

DE CANE ET OVE.

In causam canis urguet ovem. Sedet arbiter, audit:
Reddat ovis panem vult canis, illa negat.
Pro cane stat milvus, stat vultur, stat lupus: instant,
Panem quem pepigit reddere reddat ovis.

II. 1. fluenta *B.* fluentum *F.* — 2. non uno *F. H.* uterque siti *B. F.* sitim *in margine* viam *E.* — 4. movente verba *St.* 5. potum meum rivique *E.* vivique *G. St. Br. N.* — 7. supremum *E. St. Br. N.* — 12. obis *St. Br.* — 14. Sic *B. F.* Cui lupus *H.* —

III. 1. Mure iter arripiente *Br.* obviam *St.* — 3. dissona linguae *E. B. G.* — 4. dissona lingua *P.* — 7. cogit ergo pedem *St.* — 8. Ecce *B. F.* — 9. murem secum *B. G.* — 10. illa *B.* fidem *St. Br.* 12. suggerat *E.* — 13. capit *E. St. Br.* — 14. trita *F.* rupta iacent *E.* —

IV. 5. quem *St. Br.* quid *F.* — 6. Sed *B.* — 10. dolet *B. F. H.* —

Reddere non debet nec habet quod reddere possit,
Et tamen ut reddat, arbiter instat ovi.
Ergo suum, licet instet hiems, praevendit amictum
Et boream patitur vellere nuda suo. —
Saepe fidem falso mendicat inertia teste,
Saepe solet pietas criminis arte capi.

V.

DE CANE ET CARNE.

Nat canis ore gerens carnem, caro porrigit umbram,
Umbra cohaeret aquis, has canis urguet aquas.
Spem carnis plus carne cupit, plus faenore signum
Faenoris: os aperit, sic caro spesque perit. —
Non igitur debent pro vanis certa relinqui:
Non sua si quis amat, mox caret ipse suis.

VI.

DE OVE ET CAPRA.

Ut ratione pari fortunae munera sumant,
Sumunt foedus ovis capra iuvenca leo.
Cervus adest, cervum rapiunt. Leo sic ait: Heres
Primae partis ero, nam mihi primus honor.
Et mihi defendit partem vis prima secundam,
Et mihi dat melior tertia iura labor.
Et pars quarta meum: ni sit mea, rumpit amorem.
Publica solus habet fortior ima premens. —
Ne fortem societ fragilis, vult pagina praesens:
Nam fragili fidus nesciet esse potens.

VII.

DE FURE ET SOLE.

Femina dum nubit furi, vicinia gaudet:
Vir bonus et prudens talia verba movet.
Sol pepigit sponsam: Iovis aures terra querelis
Perculit et causam, cur foret aegra, dedit.
Sole necor solo: quid erit, si creverit alter?
Quid patiar, quid aget tanta caloris hiems? —
Hic prohibet sermo laetum praebere favorem,
Qui male fecerunt vel mala facta parant.

VIII.

DE LUPO ET GRUE.

Arta lupum cruciat via gutturis osse retento,
Mendicat medicam multa daturus opem.

V. 1. gerit *St. F.* [gerens *H*] — 5. debent igitur *B.* — 6. quisquis *E. G.* ipsa *E.* —

VI. Et *P.* firmant *P.* sumat *St. Br.* — 2. Sumit *St.* Fedus sunt *Br.* — 3. rapiunt cervum *St. Br.* leo ait *St.* — 4. mihi est *P.* — 6. maior *B. F. H.* — 7. nisi *E. G. N. F.* rumpet *N. F.* quarta nisi mea sit rumpemus *H.* — 9. societ fragilis fortem *B.* societ fortem fragilis *H.* pabula *E.* fabula *F.* — 10. nescit esse *St.* nescit adesse *Br.* —

VII. 1 gaudent *B.* — 3. aurem *B. F.* — 4. Pertulit *St.* — 5. premor *St.* — 8. mala sectantur vel mala facta *St.* mala fecerunt vel mala facta *B. F.* —

VIII. 2. medicum multam *St.* medicum, rite *Br.* — 3. refulso *G.* remisso *P.* — 4. An *B. F.* — 5. praescidere *G.* praecidere *B. F. H.* [praescindere *H. L. A.*] abscindere *St.* conscindere *Br.* — 6. tuum, *in margine* tibi *B.* —

Grus promissa petit de faucibus osse revulso,
  Cui lupus: En vivis munere tuta meo.
Nonne tuum potui morsu praescindere collum?
  Ergo tibi munus sit tua vita meum. —
Nil prodest prodesse malis, mens prava malorum
  Immemor accepti non timet esse boni.

IX.

DE DUABUS CANIBUS.

De partu querulam verborum nectare plenam
  Pro cane mota canis suscipit aede canem.
Haec abit, illa manet, haec cursitat, illa quiescit:
  Huic tamen a partu rumpitur illa quies.
Illa redit reddique sibi sua iura precatur:
  Obserat haec aurem nec minus aure domum.
Plus prece posse minas putat, haec plus bella duabus:
  Noscit posse minas plus prece, bella minis.
Cum dolor hanc armet, plus matrem filius armat:
  Cedit sola gregi, causaque iusta perit. —
Non satis est tutum mellitis credere verbis:
  Ex hoc melle potest pestis amara sequi.

X.

DE HOMINE ET SERPENTE.

Dum nive candet humus, glacies dum sopit aquarum
  Cursus, in colubrum turbida saevit hiems.
Hunc videt, hunc reficit hominis clementia, ventum
  Temperat huic tecto, temperat igne gelu.
Ver redit, imber abit, aestas cum sole calescit:
  Sic importunus fit magis atque magis.
Ore serit virus coluber, sic toxicat aedem.
  Hospes ait colubro: Non rediturus abi.
Non exit coluber nec vult exire, sed haeret
  Amplectensque virum sibila dira movet. —
Reddere gaudet homo nequam pro melle venenum,
  Pro fructu poenam, pro pietate dolum.

XI.

DE ASINO ET APRO.

Audet asellus aprum risu temptare protervo,
  Audet iners forti dicere: Frater, ave.
Vibrat aper pro voce caput, nam verba superbit
  Reddere, sed dentem vix tenet ira trucem.

IX. 2. suscepit *St.* — 4. tandem *F. H.* [tamen *II. V. L. A. G.*] a partu rumpitur alta *E.* in partu rumpitur alta *Br.* solvitur ipsa *H.* — 5. sua tecta *B.* — 6. Obsecrat *B.* non minus *St. Br.* — 7. putat haec, *Br.* putat, his *H.* duobus *F. H.* [duabus *L.*] duorum *B.* — 8. Nescit *E. B. St. F.* Nec posse *Br.* — 9. armat *E. II. B. St. Br. N.* — 11. Non minus est tantum *E.* — 12. *Deest in B propter spatii ut videtur exiguitatem.* melle sequi *P.* melle solet *F.* amara solet *P.*

X. 1. canet *G. L. A.* — 2. In cursum colubrum fervida *E.* — 3. vidit *E. St.* — 5. 6. *om. B. F.* tepescit *E. N. H.* — 6. 7. 8. *ordo in E*: 8. 7. 6, *in V*: 8. 6. 7. oportunus *Br.* — 12. dolos *H.* —

XI. 1. Suadet *B.* — 6. Sprevit *St.* — 7. stolidus *St.* —

Sus tamen ista movet: Vilem dens nobilis escam
  Spernit, desidia tutus es ipse tua. —
Non debet stolido laedi prudentia risu,
  Nec stolidus doctum debet adire iocis.

XII.

DE DUOBUS MURIBUS.

Rusticus urbanum mus murem suscipit, aedem
  Commodat et mensam, mensaque mente minor.
In tenui mensa satis est immensa voluntas,
  Nobilitat viles mens generosa dapes.
Facto fine cibis urbanum rusticus audit,
  Urbani socius tendit in urbis opes.
Ecce penu subeunt, inservit amicus amico,
  Invigilant mensae, fercula mensa gerit.
Emendat conditque cibos clementia vultus,
  Convivam satiat plus dape frontis honor.
Ecce serae clavis immurmurat, ostia latrant:
  Ambo timent, fugiunt ambo, nec ambo latent.
Hic latet, hic latebras cursu mendicat inepto,
  Assuitur muro reptile muris onus.
Blanda penu clauso parcit fortuna timenti,
  Ille tamen febrit, teste tremore timet.
Exit qui latuit, timidum sic lenit amicum:
  Gaude, carpe cibos, haec sapit esca favum.
Fatur qui timuit: latet hoc sub melle venenum,
  Fellitumque metu non puto dulce bonum.
Quam timor obnubit, non est sincera voluptas,
  Non est sollicito dulcis in ore favus.
Rodere malo fabam quam cura perpete rodi,
  Degenerare cibos cura diurna facit.
His opibus gaude, qui gaudes turbine mentis:
  Pauperiem ditat pax opulenta mihi.
Haec bona solus habe, quae sunt tibi dulcia soli:
  Dat pretium dapibus vita quieta meis.
Finit verba, redit, praeponit tuta timendis,
  Et qui summa timet, tutius ima petit. —
Pauperies si laeta venit, tutissima res est:
  Tristior immensas pauperat usus opes.

XII. 1. aede *B. St. Br. F.* [aedem *Π. G. A.*] — 2. Commedat, *sec. m.* Comedat *B.* Comedat ut secum *St.* Comedet ut secum *Br.* Commodat et mentem *P. Π. A. G. N.* mensa ea *Br.* — 3. mensa tenui *B. N. F. H.* — 4. frons *B. F. H.* — 5. adit *St.* urbanus rursus agrestem Mus rogat ut socius tendat *Br.* — 6. ad *St. Br.* — 7. penum *H.* — 8. Invigilat *B. F. H.* [Invigilant *P. G. V. L.*] — 9. Commendat *P. A.* — 10. sociat *B.* — 11. clavis serae *B.* serra clavis *H.* laxat *E* (*in margine* latrant). *H.* — 13. tenebras *B. G. St. Br. N.* commendat *B.* incepto *St.* — 14. Assumitur *St.* — 15. timori *B. F.* — 16. Ista *E.* febri teste, *Br.* tremore tremit *E.* tremore tremens *Π.* timore timet *B. G. V.* — 17. timidum solatur *St. Br.* — 18. cibum *E.* — 19. metuit *E. L. A.* latuit *P. B. N.* hic sub melle *Br.* hoc in melle *N. F. H.* — 20. metum *B.* putat *E. Br.* esse *St. Br.* — 22. cibus *N.* — 23. perpeti *St.* — 24. facit cura diurna cibum *E.* — 26. ditet *F.* [ditat *Π. A. G.*] meam *B. L.* — 28. Det *E. B. F.* damnis *B.* — 29. timendi *Br.* — 30. quia *B. N. F. H.* tenet *B.* timent, tutius ima petunt *St. Br.* petet *E.* — 31. Paupertas *E.* — 32. Pauperet immensas tristior usus *E.* —

XIII.

DE VULPE ET AQUILA.

Dum vulpes aquilam pro rapta prole perungit
  Melle precum, praedam reddere nescit avis.
Praeda gemit nidique timet cibus esse gulosi,
  Sed redimit natos utilis arte parens.
Arboreum zonat stipulis et vimine truncum,
  In stipulam docto dirigit ore facem.
In pullos aquilae consurgit copia fumi,
  Hunc timet et vulpem provida placat avis. —
Non igitur studeat quis maior obesse minori,
  Cum bene maiori possit obesse minor.

XIV.

DE AQUILA ET TESTUDINE.

Pes aquilae, praedo testudinis, aera scindit,
  Hanc sua concha tegit, cornua longa latent.
Hoc monitu cornix aquilam praemunit ineptum:
  Fers onus, at fiet utile, crede mihi.
Quod geris in concha, cibus est: tibi surripit illum
  Concha cibum, concham frange, cibusque cadet.
Ut concham lanies, pro viribus utere sensu:
  Hanc, si celsa cadit, saxea frangit humus.
A volucris monitu testudo fertur ad astra,
  Inde cadens fracta fit cibus arte mala. —
Ingenium vires superat, prudentia summa
  Credere prudenti, lingua ministra necis.
De se stultus homo subversus turbine linguae
  Corruit et fortes ista procella rapit.

XV.

DE VULPE ET CORVO.

Vulpe gerente famem corvum gerit arbor et escam
  Ore gerit corvus: vulpe loquente silet.
Corve, decore nitens, cycnum candore parentas,
  Si cantu placeas, plus ave quaque places.
Credit avis, pictaeque placent praeludia linguae:
  Dum canit, ut placeat, caseus ore cadit.
Hoc fruitur vulpes, insurgunt taedia corvo,
  Asperat in modico damna dolore pudor. —
Fellitum patitur risum, quem mellit inanis
  Gloria: vera parit taedia falsus honor.

XIII. 1. Cum *E.* — 3. Praeda timet *B.* cibus timet *E. St. Br.* — 5. fulmine *E.* — 6. porrigit *L. St. Br. N. H.* — 7. coniurat *B. F.* — 8. Hanc *A. E.* Hinc *Br.* Hanc tamen ut *St.* Et tamen hanc *B.* Hunc tamen et *F.* [Hunc timet *L. A.*] — 9. Non sit qui studeat quia *B. N. F. H.* — 10. posset *E.* —

XIV. 1. findit *B. F.* [scindit *A.*] — 3. Hanc *B.* inepto *B.* ineptam *E.* — 4. hoc fiet *L. A. St. Br. N.* et fiet *E.* [at *B. F.*] — 6. cadit *B. Π.* — 8. Hac *B.* cadet *B.* cadat *F.* franget *B. F. H.* — 9 — 12 *om. B (v. 9. in ima pagina postea adscriptus est). N. F. H.* — 9. Ad volucris monitus *St. Br.* Ad volucris monitum *B.* — 10. arte mea *St.* arte nova *Br.* Sic aquilae virtus cornici credula praeda est. Perdit, quod cornix, dum cadit, ore rapit *addit Br.* — 13. tutus *N. H.* —

XV. 2. gerens *B. N. F. H.* [gerit *Π. L.*] — 3. nites *B. V. St.* decens *N. F. H.* [nitens *Π.*] splendore *G. V. Π.* peremptas *E.* praecellis *B.* peraequas *H.* — 5. pictaque *St. Br.* — 6. cadat *E.* — 8. medio *B. F. H.* [modico *G. L.*] —

XVI.

DE LEONE ET APRO.

Irretit miserum gravitas annosa leonem,
  Inglaciat corpus corque senile gelu.
Instat aper, pensat veteri pro vulnere vulnus.
  Frontis eum telo taurus utroque fodit.
Saevit asellus iners et frontem calce sigillat:
  Haec solo gemitu vindicat acta leo.
Omnia qui vici, me vincunt omnia, dormit
  Vis mea, dormit honor, dormit honoris opus.
Cui nocui, nocet ille mihi, multisque peperci:
  Qui mihi non parcunt, pro pietate nocent. —
Hunc timeat casum, qui se non fulcit amicis
  Nec dare vult felix quam miser optat opem.

XVII.

DE ASINO ET CATELLO.

Murmuris et caudae studio testatur amorem,
  Nunc lingua catulus, nunc pede palpat herum.
Gaudet herus comitque canem comitemque ciborum
  Efficit, alludit turba ministra cani.
Arte pari similesque cibos similemque favorem
  Lucrari cupiens inquit asellus iners:
Me catulo praefert vitae nitor, utile tergum:
  Nec placeo fructu, sed placet ille ioco.
Ludam: lude, places. Sic ludit tempore viso,
  Ut ludo placeat, ludit et instat hero.
Blandiri putat ore tonans humerosque priorum
  Pressit mole pedum: se putat esse pium.
Clamat herus, vult clamor opem. Subit ordo clientum,
  Multa domat multo verbere clava reum. —
Quod natura negat, nemo feliciter audet:
  Displicet insipiens, unde placere putat.

XVIII.

DE LEONE ET MURE.

Frigida sopito blanditur silva leoni,
  Cursitat hic murum ludere prompta cohors.
Pressus mure leo murem rapit. Ungue precatur.
  Ille precem librat, subiacet ira preci.
Haec tamen ante movet animo: Quid mure perempto
  Laudis emam? Summo vincere parva pudor.

XVI. 2 Inglaciet *E.* — 6. Hoc *B.* — 7. quae *St. Br. N.* [qui *H.*] vincunt heu dormit *St.* — 10. Quae mihi non parcunt *St.* pereunt *Br. N.* — 11. timeant *B.* fulsit *B. F.* [fulcit *G. V. L.*] amico *B. N. F. H.* [amicis *V.*] —

XVII. 1. testatus *F.* [testatur *G. L. M.*] — 2. cauda *E.* palpit *B.* calcat *V. L. E. St. Br. N.* [palpat *Π.*] — 3. comitem ciborum *E.* — 5. similesque favores *B.* — 7. vitae vigor *St.* — 8. Et *Br.* Non *B.* furtu *B.* iocis *E. Br.* — 9. ludo places *St. N.* lude placet *B.* ut placeam *H.* Sic ludi *G. V. L. Br. N. H.* [ludi *adscripta* t *littera* *E.*] — 11. putet *E.* humerisque *B. F. H.* — 12. Pressitque *E.* Pressus *B.* Pressis *F. H.* [Pressit *L.*] — 13. vult clamat *B.* — 14. clave *St.* — 16. imprudens *B. St. Br. N. F. H.* putet *E.* studet *P.* —

XVIII. 3. capit *B.* Ille *B. H.* Inde *Π.* — 4. supplicat *V. F.* flectitur *E.* — 5. Hoc *Br.* Hic *E. St.* — 6. emes *B. N. F. H.* Summos vincere parva pudet *B. Br. F.* Summum vincere parva pudet *N. H.*

Si nece dignetur murem leo, nonne leoni
  Dedecus et muri coeperit esse decus?
Si vincat minimum summus, sic vincere vinci est.
  Vincere posse decet, vincere crimen habet.
Si tamen hoc decus est et laus sic vincere laus est,
  Et decus hoc minimo fiet ab hoste minus.
De pretio victi pendet victoria: victor
  Tantus erit, victi gloria quanta fuit.
Mus abit et grates reddit: si reddere possit,
  Spondet opem. Solus fit mora parva dies.
Nam leo rete subit nec prodest viribus uti,
  Sed prodest querulo murmure damna loqui.
Mus redit, hunc reperit, cernit loca, vincula rodit:
  Hac ope pensat opem, sic leo tutus abit.
Rem potuit tantam minimi prudentia dentis,
  Cui leo dans veniam se dedit ipse sibi. —
Tu qui summa potes, ne despice parva potentem,
  Nam prodesse potest, si quis obesse nequit.

XIX.

DE DUOBUS MILVIS.

Morbi mole iacet milvus matremque precatur,
  Ut superis pro se det sacra detque preces.
Mater ait: Mi nate, deos et sacra deorum
  Laesisti, recolunt impia facta dei.
Criminis ultores pensant pro crimine poenam:
  Cum sacra turbasti, poena timenda fuit.
Te cogit timor esse pium, te poena fidelem:
  Hic timor, haec pietas cum nece sera venit. —
Qui maculat vitam, cur mundas incolit aras?
  Quem sua facta premunt, cur aliena levat?

XX.

DE HIRUNDINE ET AVIBUS.

Ut linum pariat lini de semine, semen
  Nutrit humus, sed aves tangit hirundo metu.
Haec ait: Hoc semen nobis mala damna minatur,
  Vellite pro nostris semina sparsa malis.
Turba fugit sanos monitus vanosque timores
  Arguit. Exit humum semen et herba viret.
Rursus hirundo monet instare pericula, rident
  Rursus aves: homines placat hirundo sibi.
Cumque viris habitans cantu blanditur amico,

Vincere summos parva pudor est *E.* Summo vincere parva pudet *St.* — 7. damnabit *E.* devincat *St. Br.* — 8. est et *E.* — 9. summus minimum *H. N.* — 10. docet *Br.* — 11. Sic tamen esse decus sic laus sic vincere laus est *B.* Sit [Si *L.*] tamen esse decus *F.* dedecus est sic laus *E.* sit laus sic vincere, laus haec *F.* si laus sic vincere, laus haec *H.* et laus sit *Br.* si laus, si vincere; laus haec *N.* — 12. fiat *E.* — 15. posset *G. E. St. N. Br. H.* — 16. opem solus; *N.* — 17. Cum *E. V.* vincla subit *B.* potest *St.* — 21. Res potuit tanta minui *E.* — 23. magna *B.* non *St. Br.* —

XIX. 2. pro se superis *N. H.* — 4. Turbasti *St. Br.* — 6. Dum *B. St. Br. N. H.* turbasti *B.* turbares *ceteri.* — 7. Te timor esse pium cogit *B. Br.* et poena *E.* — 8. Haec pictas hic timor *E.* sero *B.* — 9. mundas cur *N. F. H.* sacras cur *St. Br.* intulit *B.* — 10. non aliena *E.* —

XX. 1. pareat *B. E.* de lini *B. N. F. H.* — 3. Hic ager *F.* [Haec sait *H. A.*] vincla *F. H.* — 4. vestris *P.* — 6. humo *F.* [humum *G. V.*] — 7. movet *N.* vitare *V. H.* — 8. homines *B. E. St.* hominem *ceteri.* — 9. placatur *St.* — 10. praevisa *E. F.* tela nocere *H.* — 13. vitat *B.* —

Nam provisa minus laedere tela solent.
Iam metitur linum, iam fiunt retia, iam vir
Fallit aves: iam se conscia culpat avis. —
Utile consilium qui spernit, inutile sumit:
Qui minus est tutus, retia iure subit.

PROOEMIUM LIBRI SECUNDI.

Fabula nata sequi mores et pingere vitam
Tangit quod fugias quodve sequaris iter.
Rege carens nec regis inops sine lege nec exlex
Absque iugo gessit Attica terra iugum.
Libertas errore carens se sponte coegit
Et pudor ob legem fortior ense fuit.
Ne libitum faceret, regem gens libera fecit
Et quae non potuit pellere iussa tulit.
Rex coepit lenire truces, punire nocentes
Quaeque levanda levans quaeque premenda premens.
Hos onerat novitas cives sub lege novella:
Quae leviter poterant, vix potuere pati.
Urbem triste iugum querula cervice ferentem
Aesopus tetigit consona verba movens.

XXI.

DE RANIS.

Cum nihil auderet ludentes laedere ranas,
Supplicuere Iovi, ne sine rege forent.
Iuppiter huic voto risum dedit: ausa secundas
Rana preces subitum sensit in amne sonum.
Nam Iove dante trabem trabis ictu flumine moto
Dimersit subito guttura rauca timor.
Placato rediere metu, videre tigillum:
Stando procul regem pertimuere suum.
Ut novere trabem per se non posse moveri,
Pro duce fecerunt tertia vota Iovi.
Ira Iovem movit, regem dedit, intulit hydrum,
Hydrus hiante gula coepit obire lacum.
Clamitat ecce lacus: Morimur, pie Iuppiter, audi,
Iuppiter exaudi, Iuppiter affer opem.
Nos sepelit venter, nostri sumus esca tyranni,
Aufer caedis onus, redde quietis opem.
Ille refert: Emptum longa prece ferte magistrum,
Vindicet aeternus otia spreta metus. —
Omne boni pretium nimio vilescit in usu,

Prooemium. 2. fugiat *B.* opus *E. Π.* — 5. vagans *P. E.* — 7. plebs *B. F.* facit *St.* — 9. linire *L. St. N.* punire *P.* laniare *H.* bonos *L. St. Br. N.* pios *B.* potentes *B.* — 11. Res *B. V.* Novitas hos onerant cives *St.* cives positos *N.* novitate cives *B.* in lege *B. F.* novelli *B. F.* — 12. Quod *B. F.* leniter *V. E. N.* possunt *B.* possent *F.* (poterant *L.*) — 13. gerentem *G. Π.* serentem *H.* —

XXI. 1. Dum *Π. L. Δ. G. H.* renas *H.* — 2. Supplicavere *St.* — 4. Rane *B.* subito *St. Br.* adesse *B.* — 5. motu *E. St.* — 6. *deest in E.* subitus *B. F. H.* — 9. Ut movere *B.* — 11. ibim, Ibis *Br.* — 12. fecit *P.* inire *St. Br. N. H.* — 13. o pie *E.* — 14. offer *B.* — 15. Sepelit nos *St.* — 16. opus — opes *B. F.* (onus — opes *Π. V.* opus — opem *L. Δ*). — 17. lingua *P.* ferre *E.* —

Fitque mali gustu dulcius omne bonum.
Si quis habet quod habere decet, sit laetus habendo.
Alterius non sit, qui suus esse potest.

XXII.

DE COLUMBIS.

Accipitrem milvi pulsurum bella columbae
Accipiunt regem: rex magis hoste nocet.
Incipiunt de rege queri, quod sanius esset
Milvi bella pati quam sine marte mori. —
Si quid agis, prudenter agas et respice finem:
Ferre minora volo, ne graviora feram.

XXIII.

DE FURE ET CANE.

Fure vocante canem praetenso munere panis
Spreto pane canis talia verba movet:
Ut sileam, tua dona volunt furtisque laborant
Esse locum: panem si fero, cuncta feres.
Fert munus mea damna tuum, latet hamus in esca,
Me privare cibo cogitat iste cibus.
Non amo nocturnum panem plus pane diurno,
Advena plus noto non placet hostis hero.
Non rapiet nox una mihi bona mille dierum,
Nolo semper egens esse semelque satur.
Latratu tua furta loquar, nisi sponte recedas.
Hic silet, ille manet: hic tonat, ille fugit. —
Si tibi quid detur, cur detur respice: si des,
Cui des, ipse nota teque gulose doma.

XXIV.

DE SCROFA ET LUPO.

Vult lupus, ut pariat maturum sucula fetum,
Seque novi curam spondet habere gregis.
Sus ait: Hac cura careas, mihi nolo ministres,
Horrent obsequium viscera nostra tuum.
I procul, ut tutos liceat mihi fundere fetus,
I procul, haec pietas non erit apta mihi.
Pro natis natura iubet timuisse parentem.
Fine dato verbis hic abit, illa parit. —
Tempore non omni non omnibus omnia credas:
Qui misero credit, creditur esse miser.

XXII. 1. pulsurae *H.* — 5. Quicquid *A.* agas *V. L.* agas respice *St.* agas modo respice *Br.* —

XXIII. 1. locante *P.* praetensi *P.* — 2. movet — canis *F.* — 3. furtique *L. H.* — 5. mihi *E.* atet *E.* — 7. plus diurno *St.* — 9. rapiat *St. Br.* — 10. egenus *St.* — et semel esse *E. V.* — 11. Latrata *St.* Latrando *N. H.* recedis *P.* — 12. iste manet — iste fugit *St. Br.* — 13. cur detur *om. E.* — 14. ipsa *St.* gulosa *St. Π.* —

XXIV. 3. nolo mihi *E.* — 5. et tutos *L. St. Br.* ut tutus *E.* ut tuto *N. H.* mihi liceat *St.* partus *A.* — 6. et pietas haec *F. H.* — 7. parentes *B.* — 9. credes *G. N. H.* crede *St. Br.* — 10. miserere *B.* misere *F. H.* —

XXV.

DE MONTE PARTURIENTE.

Terra tumet, tumor ille gemit gemitusque fatetur
Partum: paene perit sexus uterque metu.
Cum tumeat tellus, monstrat se monstra daturam:
Hinc homines trepidant et prope stare timent.
In risum timor ille redit, nam turgida murem
Terra parit: iocus est quod timor ante fuit. —
Saepe minus faciunt homines, qui magna minantur:
Saepe gerit nimios causa pusilla metus.

XXVI.

DE AGNO ET CANE.

Cum grege barbato dum ludit iunior agnus,
Tendit in hunc menti dissona verba lupus.
Cur olidam munda sequeris plus matre capellam?
Lac tibi praeberet dulcius ipsa parens.
Est prope, festina, matrem pete, munera matris
Lac bibe, nam servat ubera plena tibi.
Agnus ad haec: Pia capra mihi lac dulce propinat,
Me vice matris alit, me vice matris amat.
Non mihi, sed domino prodest me vivere: vivo,
Ut metat a tergo vellera multa meo.
Ergo mihi praestat nutriri lacte caprino,
Quam lac matris habens mergar in ore tuo.
Omnes vincit opes securam ducere vitam:
Pauperius nihil est quam miser usus opum. —
Nil melius sano monitu, nil peius iniquo,
Consilium sequitur certa ruina malum.

XXVII.

DE CANE ET DOMINO.

Armavit natura canem pede dente iuventa,
Hinc levis, hinc mordax, fortis et inde fuit.
Tot bona furatur senium, nam robore privat
Corpus, dente genas et levitate pedes.
Hic leporem prendit, fauces lepus exit inermes,
Elumbem domini verberat ira canem.
Reddit verba canis: Dum me pia protulit aetas,
Nulla meum potuit fallere praeda pedem.
Defendit senii culpam laus ampla iuventae,
Pro sene qui cecidit facta priora vigent.

XXV. 1. gemituque *F.* (gemitusque *L.*) — 2. parit *E. P. Π.* — 3. Dum *St.* — 4. Hino trepidant homines *V.* Sic homines trepidant *A.* Hic fugiunt homines *G.* Cuncti iam trepidant *L.* Hinc fugiunt homines *B.* Vicini trepidant *H.* Horrent et trepidant *F.* cavent *B. F.* — 5. tumor *P.* timor (*corr.* tumor) *B.* — 6. qui timor ante fuit *E.* fuit ante timor *G. L. A. St. Br. N. H.* — 7. multa *St. Br.* — 8. nimos *B.* grandes *E.* —

XXVI. 2. ad hunc *B.* mente *E.* — 3. stolida *B.* — 6. ubera servat *E.* ubere *A. 2. m. Br.* — 7. ait *St. Br.* ministrat *G. V. A. St. Br. N. H.* — 8. amat — alit *V. St. Br.* — 9. me *om. St.* me prodest *E.* — 10. in tergo *F.* — 12. amans *St. Br.* — 14. malus *H.* — 15. certo *P.* —

XXVII. 2. Hinc levis hincque vorax *P.* — 3. iam *Br.* — 6. Elusum *L. A.* Delusum *H.* — senem, *in marg.* canem *E. V.* — 7. pertulit *F.* (protulit *V. L. A.*) — 8. meos — pedes *St. Br.* — 9. culpam senii *G. E.* — 10. Vis mea nunc cecidit, verba priora vigent *E.* (Pro sene qui — facta *pr. m.*). Vis

Nullus amor durat, nisi fructus servet amorem.
  Quilibet est tanti, munera quanta facit.
Magnus eram, cum magna dedi: nunc muscidus annis
  Vileo, de veteri mentio nulla bono.
Si laudas quod eram, quod sum culpare protervum est:
  Si iuvenem recipis, pellere turpe senem est. —
Se misere servire sciat, qui servit iniquo:
  Parcere subiectis nescit iniquus homo.

XXVIII.

DE LEPORIBUS ET RANIS.

Silva sonat, fugiunt lepores, palus obviat, haerent:
  Fit mora, respiciunt ante retroque, timent.
Dum librant in mente metus, se mergere pacti
  Iam subito ranas stagna subire vident.
Unus ait: Sperare licet, non sola timoris
  Turba sumus, vano rana timore latet.
Spem decet amplecti, spes est via prima salutis:
  Saepe facit metui non metuenda metus.
Corporis est levitas et mentis inertia nobis:
  Ista fugae causam suggerit, illa necem. —
Sic metuat quicunque timet, ne mole timoris
  Spe careat: gravis est spe fugiente timor.
Speret qui metuit, morituros vivere vidi
  Spe duce, victuros spe moriente mori.

XXIX.

DE LUPO ET HAEDO.

Capra cibum quaerens haedum committit ovili,
  Hunc illi solida servat ovile sera.
Natum cauta parens monitu praemunit amico,
  Ut lateat nec sit in sua damna vagus.
Hic latet. Ecce lupus movet ostia, voce caprina
  Exprimit, ut lateant ostia clausa sibi.
Sta procul, haedus ait, caprissas gutture falso:
  Cum bene caprisses, te procul esse volo.
Quod mea sis mater, mentitur imago loquendi:
  Rimula, qua video, te docet esse lupum. —
Insita natorum cordi doctrina parentum
  Cum pariat fructum, spreta nocere solet.

XXX.

DE RUSTICO ET SERPENTE.

Rustica mensa diu nutritum foverat anguem,
  Humanam potuit anguis amare manum.

---

mea nunc recidit *L.* — 11. servat *E. Π.* — 12. tantus *St. Br.* — 13. dum *B. N. F. H.* sed *P.* mucidus *V. A.* — 14. boni *B.* Vileo, fit veteris — boni *St. Br.* — 18. amor *P.* —

XXVIII. 3. metu *St. Br.* — 4. Turgentes ranas *St.* Se metui et ranas *N. F. H.* Sed metuunt *B.* Dum metuunt *Π.* — 6. rana vano *St.* — 7. prima via *St.* via certa *B.* — 8. faciunt *E.* — 9. lenitas *St.* — 10. Illa *E.* illa fugam *B. F.* — 11. timeat *G. V. L. A.* — 12. spe *om. B.* — 14. Sepe *B.* —

XXIX. commendat *B. G. F.* — 2. Hunc tamen in solida *Br.* — 5. voce capellae *E.* voce rapina *St.* voce capellam *N. F. H.* (voce caprina *L.*) — 6. clausa petit. *E. B. N. F. H.* — 7. caprizas *B. F. H.* caprimas *St.* — 8. male *Br. H.* caprizes *B. Π. 2. H.* capticas *P.* caprimes *St.* caprizas *N.* — 9. Quot *B.* parens *St.* — 10. quam *P.* — 12. generet *St.* Saepe parit *Br.* —

XXX. 1. voverat *B.* noverat *F.* —

Gratia longa viri subitam mutatur in iram,
Ira per anguineum dirigit arma caput.
Vulneris actor eget, se vulnere credit egenum,
Angui pro venia supplicat. Anguis ait:
Non ero securus, cum sit tibi tanta securis,
Dum cutis haec memorat vulnera facta sibi.
Qui me laesit, idem laedet, si laedere possit:
Expedit infido non iterare fidem.
Sed si te pigeat sceleris, scelus omne remitto,
Nam gemitus veniam vulnere cordis emit. —
Qui primo nocuit, vult posse nocere secundo.
Quae dedit infidus mella venena puto.

XXXI.

DE CERVO ET OVE.

Cervus ovi praesente lupo sic intonat: Amplum
Vas tritici debes reddere, redde mihi.
Sic iubet esse lupus, paret timor ista iubenti,
Namque die fixa debita spondet ovis.
Fit mora, cervus ovem vexat de foedere certo.
Inquit ovis: Non stant foedera facta metu.
Me decuit cogente lupo quaecunque fateri,
Me decuit fraudem pellere fraude pari. —
Cum timor in promptu sedeat, promissa timoris
Arent: nil fidei verba timentis habent.

XXXII.

DE CALVO ET MUSCA.

Musca premit calvum, calvus vult laedere muscam:
Ut muscam feriat, se ferit. Illa redit.
Calvus ait: Te Parca iubet vicina iocari.
Si ferior, rides: si feriare, cades.
Sospes ero decies ictus, semel icta peribis:
Est mea prompta mihi gratia, surda tibi. —
Iure potest laedi laedens: ut laedat, in illum
Unde brevis coepit laesio, magna redit.

XXXIII.

DE VULPE ET CICONIA.

Vulpe vocante venit speratque ciconia cenam:
Fallit avem liquidus vulpe iocante cibus.

---

4. Et per *E.* dirigat *B.* — 5. auctor *B. St. N. F. H.* Auctor (vel actor) *E.* — eget *in E. inductum.* egens *St. Br.* — 7. dum *B. St. Br. N. F. H.* (cum *G. Π.*) — 8. hic *E.* memoret *P. Π. B.* scripta *B. F.* — 9. iterum *E.* idem *St.* posset *B.* — 11. piget *B.* piguit *F.* — 14. invidus *E.* —

XXXI. 2. crede *E.* — 3. lupus esse iubet *B.* parit (obedit *suprascr.*) *E.* timens *St.* ipse iubenti *B.* iubentis *N.* ista timore *Br.* probat ista timore iubentis *H.* — 4. fixo *St. Br. N. F. H.* (fixa *V.*) — 5. certo (facto *suprascr.*) *E.* facto *G. St. Br. N.* cervo *B. F. H.* — 6. picta *B.* — 7. quaecunque lupo cogente *N. H.* praesente lupo *V. G. L. Δ. St. Br.* — 8. in portu *E. V.* in pacta sedet *P.* in pacto *Δ* in pacto sedet *Br. N. H.* inportunus adest *B. L.* — 10. timoris *E. St. Br.* —

XXXII. 1. muscam v. l. calvus *F. H.* — 2. feriet *E.* ferat *St.* feriat muscam *B.* ferit ille illa *B.* ridet *E.* (?) *St. Br. F.* (redit *P. Π. V. Δ.*). — 3. parca iubet fortuna *St.* parva iubet fortuna *Br.* — 4. Cum *E.* — 6. sorda *E.* tarda *St. Br.* — 7. laedi ludens *F.* laedi laesor quod laedat *Br.* cedat *B.* (?) — 8. levis *B.* dedit (*corr.* redit) *B.* —

XXXIII. 2. vocante *E. Π. L. N. H.* favente *St.* —

Dum bibit illa cibos, solum bibit illa dolorem:
Hic dolor in vulpem fabricat arma doli.
Sunt pauci mora parva dies, avis inquit: Habemus
Fercula quae sapiunt, dulcis amica veni.
Haec venit, haec vase vitreo bona fercula condit,
At solam recipit formula vasis avem.
Laudat opes oculo vasis nitor, has negat ori
Formula: sic geminant visus odorque famem.
Sic vulpes ieiuna redit, sic fallitur audens
Fallere, sic telo fallitur ipsa suo. —
Quod tibi non faceres, aliis fecisse caveto.
Vulnera ne facias, quae nequis ipse pati.

XXXIV.

DE LUPO ET CAPITE.

Dum legit arva lupus, reperit caput arte superbum:
Hoc beat humanis ars pretiosa genis.
Hoc lupus alterno volvit pede, verba resolvit:
O sine voce genas, o sine mente caput. —
Fuscat et extinguit cordis caligo nitorem
Corporis, est animi solus in orbe nitor.

XXXV.

DE GRACULO ET PAVONE.

Graculus invento picti pavonis amictu
Se polit et socias ferre superbit aves.
Quem fore pavonem pavonis penna fatetur,
Pavonum generi non timet ire comes.
Pavo dolum sentit, falsi pavonis honorem
Increpat et domitam verbere nudat avem.
Nuda latet sociasque fugit minuique pudorem
Sic putat, hanc torvo corripit ore comes:
Ascensor nimius nimium ruit, aptus in imis
Est locus, haec levis est, illa ruina gravis.
Qui plus posse putat, sua quam natura ministrat,
Posse suum superans se minus esse potest.
Si tibi nota satis naturae meta fuisset,
Nec vilis nec inops nec sine veste fores. —
Cui sua non sapiunt, alieni sedulus auceps
Quod non est rapiens desinit esse quod est.

---

3. Cum bibat *F.* ista *F. H.* cibum *E. V.* — 4. vulpe *P.* — 5. pauca *F.* (parva *V. L. A.*). — 7. redit *P.* vasi *P.* vitreo vase *N. H.* vitreo b. f. vase recondit *Br.* — 8. Ast *B.* — 9. ore *E.* — 10. sed *St. Br.* geminat *Br. F.* — 12. scelo *St.* laeditur *B. F. H.* ipse *E. St. Br.* — 13. feceris *E. St.* alii *N. F.* cavebis *F.* — 14. facis *E.* potes *N. F.* (nequis *G. A.*). —

XXXIV. 1. Cum *E. L. St. Br.* — 3. Hic *E.* — 4. genam (genas *erasum*) *E.* genae *H.* —

XXXV. 4. Pavonumque gregi *Π. A.* esse *B. G. St. Br. N. H.* — 7. sociosque *St. Br. N. F.* sociasque *Π. A.* nimiumque p. Sustulit *St. Br.* — 8. hunc *Π. L. A. G. B. H.* diro (*suprascr.* duro, *inductum* tervo) *E.* dira *P.* diro *L. V. H.* duro *B. F.* vulnerat (*suprascr.* corrigit) *E.* vulnerat *P. V.* — 10. hic levis *St. Br.* — 12. superas *E.* potest (putet) *E.* putat *St. Br. N.* — 13. natura *P.* — 14. Non *F.* (nec *Π. V. A.*). teste *N.* — 15. Qui *B. Π.* anceps (*suprascr.* dubius) *B.* — 16. Qui *B.* sapiens *B. G. Π. A.* —

XXXVI.

DE MUSCA ET MULA.

Mula rapit currum, nam mulam mulio cogit:
Mulae musca nocet vulnere sive minis.
Cur pede sopito currum tempusque moraris?
Te premo, te pungo, pessima curre levis.
Mula refert: Quia magna tonas, vis magna videri.
Nec tua facta nocent nec tua verba mihi.
Nec te sustineo, sed eum, quem sustinet axis,
Qui mea frena tenet, qui mea terga ferit. —
Audet in audacem timidus fortique minatur
Debilis, audendi dum videt esse locum.

XXXVII.

DE MUSCA ET FORMICA.

Musca movens lites formicam voce fatigat,
Se titulis ornat turpiter ipsa suis:
Torpes mersa cavis, levitas mihi quaeritur alis,
Dat tibi fossa domum, nobilis aula mihi.
Deliciae sunt grana tuae, me regia nutrit
Mensa, bibis faecem, sed bibo lene merum.
Quod bibis, a luto sugis, mihi suggerit aurum
Quod bibo, saxa premis, regia serta premo.
Sede cibis potu thalamis cum regibus utor,
Reginae teneris oscula figo genis.
Non minus urentes mittit formica sagittas
Et sua non modicum spicula fellis habent:
Ludo mersa cavis, nescit tua penna quietem.
Sunt mihi pauca satis, sunt tibi multa parum.
Me laetum iubet esse cavus, te regia tristem,
Plus mihi grana placent quam tibi regis opes.
Venatur mihi farra labor, tibi fercula furtum,
Haec mihi pax mellit, toxicat illa timor.
Mundo farre fruor, tu foedas omnia tactu.
Cum nulli noceam, omnibus una noces.
Est mea parcendi speculum, tua vita nocendi,
Sunt mea quae carpo, non nisi rapta voras.
Ut comedas vivas, comedo ne vivere cessem.
Me nihil infestat, te fugat omnis homo.
Unde petis vitam, rapitur tibi vita, palato:
Dulcia vina bibens fel necis acre bibis.
Se negat ala tibi ventoso tacta flabello,

XXXVI. 1. cursum *B. St. Br. N. F.* quia *B.* — 2. voce minis *St. Br.* — 3. sospito *B.* gressum *B. F.* tempus currumque *N. H.* curris cursumque *St.* — 5. sonas *F.* — 6. Non *St. Br.* mihi - nocent *P.* dicta *B.* verba - facta *E.* tua verbera *St.* — 7. nec *P.* — 10. cum *E. V. A.* —

XXXVII. 2. Ornans se titulis *B.* — 3. musca *P.* quaeritat *E.* — 4. bonum *Br.* — 5. Militiae *B.* — 6. dulce *P*ª. *Π. St. Br. N. H.* — 7. limo *B. P*ª. *F. H.* ligno *P.* regia strata *Br.* (*V. in explicatione*). terga *L. H.* — 9. Sed *E. Br.* Ede *St.* thalamo *B. F. H.* — 11. Nec *B.* — 13. n. tu tua p. *Br.* pena *P. St.* — 15. videt *B. N. F. H.* — 17. furtim *Br.* — 19. Cum nulli noceam (20. Mundo farre fruor) *E.* farra *B.* — 20. civibus una (*i. m.* civibus ipsa) *E.* cuilibet *B. F. H.* quilibet *G.* ipsa *Π. A. Br. H.* — 21. mihi *St. Br.* vorandi *E. i. m.* — 23. Tu *Br.* vivis *B. F. H.* — 24. nil *E.* nullus *B.* fugit *Π E. St. Br. N. H.* — 27. Si *B. F.* aula *E. St. Br. N.* victa *B. F. H.* icta *A.* flagello *B.* —

Aut nece vinceris aut semiviva iaces.
Si potes aestivi dono durare favoris:
Cetera cum parcant, non tibi parcit hiems. —
Dulcia pro dulci, pro turpi turpia reddi
Verba solent: odium lingua fidemque parit.

XXXVIII.

DE VULPE ET LUPO.

Respondere lupo de furti labe tenetur
Vulpes, causa vocat, hic petit, illa negat.
Simius est iudex, docti non errat acumen
Iudicis, arcanum mentis in ore legit.
Iudicium fingit: Poscis quod poscere fraus est,
Visque fidem de re quam negat ipsa fides.
Tu bene furta negas, te vitae purior usus
Liberat, hanc litem pax domet, ira cadat. —
Simplicitas veri fraus estque puerpera falsi,
Esse solent vitae consona verba suae.
Sordibus imbuti nequeunt dimittere sordes:
Fallere qui didicit, fallere semper amat.

XXXIX.

DE MUSTELA ET HOMINE.

Praeda viri praedo murum mustela precatur:
Da veniam, debes parcere, parce mihi.
Quod caret hoste domus, quod abest a sorde, fatetur
Esse meum, pro me te rogat, ergo fave.
Servitio me redde tuo, mihi redde laboris
Praemia, pro dono sit mea vita mihi.
Ille refert: Operum debetur gratia menti,
Non operi, gratum mens bona reddit opus.
Nemo, licet prosit, nisi vult prodesse, meretur:
Nam prodesse potest hostis obesse volens.
Cum mihi prodesses, mihi non prodesse volebas,
Hostibus ipsa meis et meus hostis eras.
Non mihi monstra necans sed eras tibi provida soli:
Sic panem poteras rodere sola meum.
Pane meo pinguis mihi da pinguedinis usum:
Damnis penso necem, digna perire peri. —
Nil decorat factum nisi facti sola voluntas:
Non operis fructum, sed noto mentis opus.

---

28. vinciris *Br. N. F. H.* — 29. p. aestatis *St.* poteris aestum *Br.* ditare *B.* — 30. si parcunt *St.* si parcent *Br.* si parcant *N. H. F.* (cum *P. V.*) —

XXXVIII. 2. Vulpes eam *A.* (cā *L.*). *St. Br. N.* ille *F.* — 3. es *E.* — 5. figit *F.* poscit *Br.* — 6. Usque *Br.* — 7. legas *St.* notes *B.* notat *P.* — 8. cadit *B. St. N. F.* (cadat *P.*) — 9. est et p. *St.* est p. *E.* esse p. *P.* — 10. verba c. vitae *St. Br.* — 11. sordem *N.* — 12. avet *P.* —

XXXIX. 1. perorat *B.* — 5. me reddo *Br.* laborum *H.* — 6. donis-mihi (*suprascr.* dono-tuo) *E.* donis est (*suprascr.* dono sit) *П.* — 7. operis *N.* — 9. fatetur *B. G.* — 10. Non *B. P. G. N. H.* putans *F.* — 11. Dum *E. V*[2]*: L.* — 13. Nec *St. Br.* mihi pr. *B.* — 14. Sed poteras panem *B.* — 17. honerat (*suprascr.* decorat) *B.* — 18. fructus *B.* nolo *E.* volo *H.*

XL.

DE RANA ET BOVE.

Aequari vult rana bovi, tumet ergo, tumenti
Natus ait: Cessa, pro bove tota nihil.
Rana dolet meliusque tumet, premit ille tumentem:
Vincere non poteris, victa crepare potes.
Tertius iratam vexat tumor, illa tumoris
Copia findit eam, guttura rupta patent. —
Cum maiore minor contendere desinat et se
Consulat, ut vires temperet ipse suas.

XLI.

DE LEONE ET PASTORE.

Sollicitus praedae currit leo, spina leonem
Vulnerat, offendit in pede mersa pedem.
Fit mora de cursu, levitas improvida lapsum
Saepe facit, laeso stat pede turba pedum.
Vix aegrum sinit ire dolor saniemque fatetur,
Maior idem loquitur vulneris ipse dolor.
Cum laedit miseros fortuna, medetur eisdem:
Hinc est cur medicum planta leonis habet.
Nam leo pastorem reperit pastorque leoni
Pro dape tendit ovem, respuit ille dapes.
Supplicat et plagam tenso pede monstrat et eius
Orat opem: pastor vulnera solvit acu.
Exit cum sanie dolor et res causa doloris:
Hic blando medicam circuit ore manum.
Sospes abit meritique notas in corde sigillat.
Tempore deleri gratia firma nequit.
Hinc leo vincla subit, Romanae gloria praedae
Hunc habet et multas miscet arena feras.
Ecce necis poenam pastori culpa propinat:
Clauditur in mediis et datur esca feris.
Hunc leo praesentit, petit hunc: timet ille, timenti
Huic fera blanditur, sperat abitque timor.
Nil feritatis habens ludit fera, cauda resultat:
Dum fera mansuescit, se negat esse feram.
Hunc tenet, hunc lingit pensatque salute salutem:
Nulla sinit fieri vulnera, nulla facit.
Roma stupet parcitque viro parcitque leoni,

XL. 2. prae *N. F. H.* nil es *St.* nil bovis instar habes *Br.* — 3. iste *St. Br.* illa *B.* — 6. viscera (*suprascr.* guttura) *E.* gutture *P. N.* viscera *L. Br.* rapta *B.* — 7. conferre *E. V.* conferri *B. F.* — 8. Consulet *B.* et v. temperat *E.* ut v. temperat *Br.* et v. temperat *N.* approbet *B.* —

XLI. 1. leo currit *E.* — 5. sinit ille *N.* — 6. Morbus idem *inductum*, Maior inde *suprascr. E.* Pallor i. *St. Br.* Vulnus i. *H.* color *F.* livor *L.* pallor *V.* (dolor *G.*) — 8. plaga doloris *in E. suprascr.* (planta leonis *ind.*). plaga l. *St. Br. N.* — 10. praebet *B. N. H.* tendit (*suprascr.* praebet *E. Π.*). oves *N. F.* dapem *B. L. A. H.* — 11. at *P.* praetenso *N.* ille *A.* illi *B. F.* illum *L.* — 12. Confert p. opem *B.* solvat *Π.* sanat *St. Br.* curat *V.* — 14. Sic *B.* — 17. petit *E.* gloria gentis *St.* *Post v.* 17. Et socius miseris additur ille feris. Urbis enim circus magnus, simul amphitheatrum *Br.* — 18. habena *B.* — 19. potum *N. H.* pastoris *B.* — 21. Cum *B.* fera *N.* praesentem *B. V. L.* prospexit *St. Br.* — 22. Haec *N. F. H.* — 23. habet fera ludit *B.* — 24. Cum *B. St.* Et iam mansuescens *Br.* — 27. parcit viro *P.* —

Hic redit in silvas et redit ille domum. —
Non debet meritum turpis delere vetustas:
Accepti memores nos decet esse boni.

XLII.

DE EQUO ET LEONE.

Tondet equus pratum, petit hunc leo: causa leonem
Haec movet, ut fiat esca leonis equus.
Inquit equo: Mi frater, ave, fruor arte medendi,
Et comes et medicus sum tibi. Paret equus.
Sentit enim fraudes et fraudi fraude resistit.
Mente prius texens retia fraudis ait:
Quaesitus placitusque venis, te temporis offert
Gratia, te rogitat pes mihi sente gravis.
Hic favet, instat equo: subiecto vertice calcem
Imprimit et sopit membra leonis equus.
Vix fugit ille sopor, vix audet vita reverti,
Vix leo colla movens respicit: hostis abest.
Sic leo se damnat: Patior pro crimine poenam,
Nam gessi speciem pacis et hostis eram. —
Quod non es, non esse velis, quod es, esse fatere:
Est male quod non est, qui negat esse quod est.

XLIII.

DE EQUO ET ASINO.

Gaudet equus phaleris, freno sellaque superbit:
Ista quidem vestit aureus arma decor.
Obstat asellus equo, vicus premit artus asellum,
Vexat onus, tardat natus eundo labor.
Cur sibi claudat iter, sonipes inclamat asellum:
Occurris domino, vilis aselle, tuo.
Vix tibi do veniam de tanti crimine fastus:
Cui via danda foret libera, dignus eram.
Supplicat ille minis mutusque timore silendo
Tutior et surda praeterit aure minas.
Summus equi declinat honor: dum vincere temptat,
Vincitur et cursum viscera rupta negant.
Privatur phaleris, freno privatur honesto,
Hunc premit assiduo reda cruenta iugo.
Huic tergum macies acuit, labor ulcerat armos.
Hunc videt, inde iocos audet asellus iners.
Dic sodes, ubi sella nitens, ubi nobile frenum?

XLII. 1. videt *B.* — 5. Sensit *P.* S. equus *B. L. A. St. N. H.* fraudem *St. Br. in m:* Gratulor ecce nimis quia tu nunc ipse venisti *P. post v.* 6: Utque sibi caveat talia verba monet *P.* — 7. placidusque. — 9. equus *E.* subducto *B.* in v. *H.* — 12. equus abest *St. Br.* — 13. Se l. sic *F.* — 14. h. abest *B.* — 15. fatetor *P. V.*

XLIII. 2. nitor *G. A. St. Br.* — 4. onus Ingens tardat eundo *E.* — 5. Quid *V.* Quod *N.* claudit *E. П. L. H.* asello *F.* — 6. *et* 7. *inverso ordine E.* — 7. tanto *St. Br.* — 8. fuit *B. St. F.* — 9. Subticet *N.* ille timens *V. St. N. H.* metatque (*suprascr.* timet) *E.* nutatque *F.* mutus *B.* pudore *N. H.* — 10. Tutius *E.* Fit timor *P. A.* — 11. honor d. e. *E.* temptat *suprascr.* certat *П.* certat *F.* — 12. negat *Br.* — 13. freno sellaque .nitente *N. H.* auro s. n. *P.* — 15. armum *P.* — 16. Huic inferre *St. Br.* inque iocos *B. N. H. F.* inde iocis audet (*suprascr.* temptat) *E.* —

Cur est haec macies? cur fugit ille nitor?
Cur manet hic gemitus, cur illa superbia fugit?
Vindicat elatos iusta ruina gradus.
Stare diu nec vis nec honor nec forma nec aetas
Sufficit, in mundo plus tamen ista placent.
Vive diu, sed vive miser sociosque minores
Disce pati: risum dat tua vita mihi. —
Pennatis ne crede bonis, te nulla potestas
In miseros armet, nam miser esse potes.

XLIV.

DE QUADRUPEDIBUS ET AVIBUS.

Quadrupedes pugnant avibus, victoria nutat,
Spes onerata metu vexit utrumque gregem.
Linquit aves quae sumit avis de vespere nomen
Nec timet oppositi castra iuvare chori.
Armat aves aquilae virtus et viribus implet
Et monitu, torpet altera turba metu.
Amplexatur aves ulnis victoria laetis:
Pro titulo poenam transfuga sumit avis.
Vellere nuda suo pro plumis vulnera sumit
Edictumque subit ne nisi nocte volet. —
Non bonus est civis, qui praefert civibus hostem:
Utiliter servit nemo duobus heris.

XLV.

DE PHILOMENA ET ACCIPITRE.

Cum philomena sedet, studium movet oris amoenum
Sic sibi, sic nido visa placere suo.
Impetit accipiter nidum, pro pignore mater
Supplicat, alter ait: Plus prece carmen amo,
Nec prece nec pretio sed amoeno flectere cantu
Me potes. Ille silet, dulcius illa canit.
Mente gemit, licet ore canat: mens eius acescit,
Cuius mellifluum manat ab ore melos.
Impia fatur avis: Sordet modus iste canoris,
Et laniat natos matre vidente suos.
Mater obit nec obire potest, sed vivit ut ipsam
Vincat vita necem plus nece cladis habens.
Cor matris patitur plus nati corpore, corpus
Rodit avis rostro, cor fodit ense dolor.
Vestigat sua poena scelus, nam fraudibus uso
Aucupe fraudosam viscus inescat avem. —
Fine malo claudi mala vita meretur: iniquus
Qua capit insontes, se dolet arte capi.

---

18. C. manet *B.* hic macies *E.* iste nitor *St. Br.* — 19. cessit *B.* — 20. certa *B.* — 21. nec diu *E.* — 22. immundo *St.* — 25. non crede *N.* —

XLIV. 1. mutat *B. E.* — 2. honorata *B.* — 3. avis *om. St.* — 5. Armet *B.* — 6. Nunc (?) *B.* — 7. pennis *B. G. St. Br. N. H.* — 9. Vellera *N.* vulnera vescit *St.* vellera vestit *F.* portat *N.* gestat *Π.* — 10. sumit (*suprascr.* subiit) *E.* ne *om. E.* noctu *St.* —

XLV. 1. Dum *St. Br. N. H. F.* — 3. Impedit *St.* — 6. illa dulciter *St.* dulciter illa *Br.* docius *P.* — 7. licet gemat o. canit *St.* canit *E.* arescit *Br.* — 9. iste modus *St.* canorus *Π. N.* canendi *L. E. St. Br. H.* — 10. natum-suum *B. St. Br. N. F. H.* parvos-suos *Π.* — 11. abire *P.* sic v. *F.* eius *E.* ipsa *B.* — 12. morte *St.* — 15. usus *B. A.* — 16. Anceps *B.* — 17. cl. semper mala vita meretur *V. N. H.* — 18. dolus *N.* —

XLVI.

DE LUPO ET VULPE.

Ditat praeda lupum, ducit lupus otia longa
Fausta cibo, vulpes invidet, ista movet:
Frater ave, miror cur tanto tempore mecum
Non fueris: nequeo non memor esse tui.
Ille refert: Pro me vigilet tua cura, precari
Numina ne cesses, ne mea vita ruat.
Fraude tamen munita venis falsoque venenum
Melle tegis: dolor est copia nostra tibi.
Extorquere paras aliquid furtumque minaris,
Sed mea furtivam respuit esca gulam.
Spreta redit, spretam stimulat dolor, apta dolori
Fraus subit, ad pecorum transvolat illa ducem.
Hunc movet his verbis: Tua gratia muneris instar
Sit mihi, namque lupum dat mea cura tibi.
Hostem perde tuum, tutus iacet hostis in antro.
Vir favet, antra petit et necat ense lupum.
Illa lupi consumit opes, sed floret ad horam
Vita nocens: vulpes casse retenta gemit.
Cur nocui? nocet ecce mihi nocuisse nocivo.
Iure cado, cuius concidit arte lupus. —
Vivere de rapto vitam rapit, invidus instans
Alterius damnis in sua damna ruit.

XLVII.

DE CERVO ET VENATORE.

Fons nitet argento similis, sitis arida cervum
Huc rapit, haurit aquas, se speculatur aquis.
Hunc beat, hunc mulcet ramosae gloria frontis:
Hunc premit, hunc laedit tibia macra pedum.
Ecce canes. Tonat ira canum, timet ille, timenti
Fit fuga, culpati cruris adorat opem.
Silvae claustra subit, cornu retinente moratur:
Crure neci raptum cornua longa necant. —
Spernere quod prosit et amare quod obsit ineptum est,
Prodest quod fugimus et quod amamus obest.

XLVIII.

DE MULIERE ET MARITO MORTUO.

Dum vir et uxor amant, uxorem privat amato
Parca viro nec eam privat amore viri.

XLVI. 2. Hausto *E.* Faustu *St.* Fastu *Br.* Facta *N.* mox vulpes *Br.* illa *E.* i. lupo *B.* movens *Br.* — 5. vigilat *Π. H.* — 6. non cessas *F.* non cesses *G. V. St. Br.* — 7. multa venis *E.* inimica v. *B.* — 8. gerisque dolos copia *B.* — 11. spreta stimulans *E.* — 13. monet *F.* — 15. tuto *B. N. F. H.* — 16. petunt hic *E.* subit hic *St. Br.* petit hic *F.* — 17. Ista *B. St. N. F. H.* et floret *B.* et florit *E.* — 18. tandem casse *E.* — 19. nocuum est *St.* nocivum *Br.* — 22. cadit *B. A.* redit *F.* (ruit *G. L.*) —

XLVII. 2. Hunc *E. P. A.* sp. ait *B.* — 3. ramosa *St.* — 4. turbat (*suprascr.* laedit) *E.* — 5. iste *St. Br.* — 6. implorat *multi.* — 7. S. subit cl. *E.* Cl. subit s. *N. H.* — 8. Crura n. rapiunt *H.* — 9. apsit *B.* protervum est *E.* —

XLVIII. 1. Cum *B. G. V. St. Br.* —

Coniugis amplectens tumulum pro coniuge vexat
  Ungue genas, oculos fletibus, ora sono.
Hanc iuvat ipse dolor, nequit haec de sede revelli
  Grandine seu tenebris seu prece sive minis.
Ecce reum damnat iudex, crux horrida punit:
  In cruce custodit tempore noctis eques.
Hic sitit, ad tumulum vocat hunc et clamor et ignis:
  Orat aquae munus. Haec dat et ille bibit.
Aegrum nectareis audet cor inungere verbis,
  Hunc vocat ad primum cura timoris opus.
Sed redit et dulces monitus intexit amato
  Cordi, victa subit claustra pudoris amor.
Vir metuens furis furem suspendia visit
  Furis, sed viduam tactus amore perit.
Hanc ligat amplexu fructumque ligurit amoris,
  Hic redit ad furem, sed loca fure carent.
Hic dolet et queritur, dolor hic instigat amicam:
  Non bene servato fure timore premor.
Rex mihi servandum dederat, me regius ensis
  Terret et extorrem me iubet ire timor.
Haec ait: Inveni quae spem tibi suscitet artem:
  Vir meus implebit in cruce furis onus.
Ipsa viri bustum reserat, pro fure catenat
  Ipsa virum, restem subligat ipsa viro.
Miles ait: Nostrae nostris successibus artes
  Non prosunt, aliud consule consilium.
Crinibus orbata furis frons nuda nitebat
  Istiusque viri frons manet hirta comis.
Pallentis caput illa capit frontemque sigillat
  Calvitie, manibus vellit et ore pilos.
Huic merito succumbit eques, succumbit amori
  Illa novo, ligat hos firmus amore torus. —
Sola premit vivosque metu poenaque sepultos
  Femina: femineum nil bene finit opus.

XLIX.

DE MULIERE ET IUVENE.

Arte sua Thais iuvenes irretit, amorem
  Fingit et ex ficto fructus amore venit.

---

4. flectibus *E.* — 5. iste d. *B.* nequit de s. *E.* hac de sede *F. H.* repelli *St. Br.* — 6. seu m. *St.* — 9. dolor et clamor ignis *St.* — ungere *B. St. Br.* unguere *E.* tangere *H.* — 13. instillat *B. H.* amaro *F.* — 14. castra doloris *F.* castra timoris *B.* claustra doloris *H.* — 15. furem sed non suspendia furis Prospicit *St.* furem tolli s. furis Prospicit *Br.* furem furis s. furis Visit *N.* furi furem s. furis Visit *B. F.* furtum furis s. furis Visit *H.* — 16. tractus *E.* et viduae t. a. petit *St.* et viduae tractus a. p. *Br.* sed v. t. a. petit *B. N. F. H.* — 17. fructumque ministrat amoris *St. Br. N.* fructus et carpit amoris *B.* — 18. Hinc *B. F. H.* — 19. hoc questu *N. F. H.* castigat *E.* *Ante v.* 19 Terretur repetit viduam fuditque querelas *Br.* Terretur viduam repetit funditque querelas *G.* — 22. ex terrore *E.* exilium cogit inire *St.* excordem me i. esse *Br.* ext. m. i. esse *B. N. F. H.* — 23. spem quae *G. A. B.* suscitat *E.* conferat *B.* te bene liberet *St.* qua te bene liberet *Br.* — 25. Ista *G. N.* — 27.—32. *desunt in B. apud N.* et *F.* — 27. tantis *Br.* — 29. calva *E.* — 30. latet *E.* — 31. rapit illa caput *E.* sigillans *ed. Ulmensis. St. Br.* — 34. toros *E.* — *Ante v.* 35. Monstrat moecha viam moecho loculis vacuatis Vel petat occām q' dt deus omnia gratis (*in m. similia*) *B.* Iam veteri novus extincto praefertur amori, Víva nil fidei mens amoris habet *St. et ed. Ulmensis.* Iam veteri n. e. profertur a. Nam quia nil fidei mens mulieris habet *Br.* 35*sq. om. ed. Ulm. Post v.* 36. Quos coluit vivos nescit vixisse sepultos Femina, nil fidei mens mulieris habet *B.* — 35. Solva *H.* pena et *B.* — 36. vix bene *E.* non b. *B. St.* —

XLIX. *in m. B.* — 2. et *om. E.* amore fructus *St.* —

A multis fert multa procis, ex omnibus unum
  Eligit, huic veri spondet amoris opes:
Sum tua sisque meus cupio, plus omnibus unum
  Te volo, sed nolo munus habere tuum.
Percipit ille dolos et reddit qualia sumpsit:
  Sis mea sumque tuus, nos decet aequus amor.
Vivere non vellem, nisi mecum vivere velles.
  Tu mihi sola salus, tu mihi sola quies.
Sed falli timeo, quia me tua lingua fefellit:
  Praeteriti ratio scire futura facit.
Vitat avis taxum, quam gustu teste probavit.
  Fallere vult hodie, si qua fefellit heri. —
Thaida si quis amat, sua, non se credat amari:
  Thais amore caret, munus amantis habet.

L.

DE PATRE ET FILIO.

Est pater, huic natus. Hic patri cedere nescit,
  Nam facienda fugit et fugienda facit.
Mens vaga discurrit et menti consonat aetas:
  Mentis et aetatis turbine frena fugit.
Ira senis punit nati pro crimine servos:
  Instruit ista senem fabula nota sequi.
Cauta bovem vitulumque manus supponit aratro.
  Hic subit, ille iugum pellit. Arator ait:
Gaude, laetus ara tu quem domat usus arandi.
  A bove maiori discat arare minor.
Non placet ut sudes, sed des exempla minori,
  Qui pede, qui cornu pugnat abire iugo.
Sic domat indomitum domito bove cautus arator,
  Sic veterem sequitur iunior ille bovem. —
Proficit exemplo meriti cautela docentis
  Maiorique sua credat in arte minor.

LI.

DE VIPERA ET LIMA.

Vipera fabrilem dapis anxia tendit in aedem,
  Incipit haec limam rodere, lima loqui:
Nescis posse meum, quae sit mea gloria nescis:
  Dente meo pateris, non ego dente tuo.
In tenuem ferrum forti molo dente farinam
  Et cadit attritu dura farina meo.

---

4. Elegit *St. Br.* viri *St.* opem *B.* — 5. Sim *Π. F. H.* — 7. Perspicit *B.* — 8. simque *F. H.* sum tuus *St.* — 10. t. m. solus amor *St.* — 11. metuo *E. A. N.* — 13. apis *Br.* — 14. signa fef. *N.* — 15. se non *B. E.* — 16. amat *F.* —

L. 2. Non *B.* fugienda facit et fac. fug. *F.* — 3. consonet *B.* — 5. pro nati *B. Br. N. H.* — 6. nata *L. Br.* seni *F. H.* — 7. vitulum manus *St.* arato *B.* — 9. ara quem *B. St.* domit *B.* domuit *St.* quam domat *Br.* arator *B.* — 12. adire *B*[2]. iugum *B.* — 13. domit *B.* — 14. sequitur veterem bos minor *Br.* v. s. minor *B.* — 15. Perficit *St.* exempli *B. F.* merito *B. St. F.* multum cautela *Br.* tanto cautela *N. H.* docendi *B. F. H.* — 16. minor-sua *V. Π. N. H.* —

LI. 2. loqui lima *E.* — 5. forti ferrum *B.* —

Ferrea parcenti castigo tubera morsu,
  Aspera plano, seco longa, foranda foro.
Deliras igitur, cum dente mineris inermi:
  Rideo quod ferior, vulnera ferre gemis. —
Fortem fortis amet, nam fortem fortior angit:
  Maiori timeat obvius ire minor.

LII.

DE LUPIS ET OVIBUS.

Pugna lupis opponit oves oviumque satelles
  Est canis, est vervex: hac ope fidit ovis.
Palma diu dormit, desperat turba luporum
  Et simulans foedus fallere temptat ovem.
Foedus utrumque pecus iurato numine fulcit:
  Id lupus, id simplex obside firmat ovis
Datque lupis male sana canes recipitque luporum
  Pignora nec metuit nec sua damna videt.
Dum natura iubet natos ululare lupinos,
  Turba lupina furit foedera rupta querens.
Ergo pecus tutoris egens in viscera mergit,
  Praeside nuda suo sic tumulatur ovis. —
Tutorem retinere suum tutissima res est:
  Nam si tutor abit, hostis obesse potest.

LIII.

DE HOMINE ET SECURI.

Quo teneatur eget nil ausa secare securis.
  Armet eam lucus, vir rogat: ille favet.
Vir nemus impugnat lassans in caede securim,
  Arboris omne genus una ruina trahit.
Lucus ait: Pereo, mihimet sum causa pericli,
  Me necat ex dono rustica dextra meo. —
Unde perire queas, hostem munire caveto:
  Qui dat quo pereat, quem iuvat hoste perit.

LIV.

DE CANE ET LUPO.

Cum cane silva lupum sociat. Lupus inquit: Amoena
  Pelle nites, in te copia sancta patet.
Pro verbis dat verba canis: Me ditat herilis
  Gratia, cum domino me cibat ipsa domus.
Nocte vigil fures latratu nuntio, tutam
  Servo domum, mihi dat culmus in aede torum.

---

7. mordaci *V. St. Br. N.* vipera morsu *B.* — 9. minaris *F.* cum ferior vulnera ferre gemis ferior v. f. g. *H.* — 10. Video *P.* quod vereor *St.* cum ferior *L. N.* — 11. Fortes *P.* Fortis fortem *N.* amat *Π. L. Α. N. H.* et fortem *B.* — 12. metuat *N.* —

LII. 4. Assimilans *St.* foedere tentat ovem *N. F.* oves *E. G.* — 5. utrique *P.* placet *B.* fides *F. H.* foedere fulcit *B.* fulsit *F.* (fulcit *V. L*). firmat *St. Br.* — 6. supplex *Br.* — 7. canem *St. Br. N. H.* — 10. facta negant *E.* — 11. tutore carens *G. V. St. Br.* cadit esca luporum *St. Br.* — 14. obit (*suprascr.* abest) *E.* abest *B. N. F. H.* (abit *P.*) abesse *B.* adesse *L. St. Br.* —

LIII. 1. nihil *P.* — 2. Armat *L. B.* favit *B.* facit *F.* (favet *Π. Α.*) — 6. secat *St. Br.* — 7. cavebis *N. H.* —

LIV. 1. inquit amice *N. H.* — 2. vitae copia *B.* c. magna *St.* c. pulchra *N. H.* — 5. nuncia *E.* terreo *B.* — 6. calamus (*suprascr.* calmus) i. a. lectum (*suprascr.* thorum) *E.* —

Haec movet ore lupus: Cupio me vivere tecum,
Communem capiant otia nostra cibum.
Reddit verba canis: Cupio te vivere mecum,
Una dabit nobis mensa manusque cibum.
Ille favet sequiturque canem gutturque caninum
Respicit et quaerit: Cur cecidere pili?
Inquit: Ne valeam morsu peccare diurno,
Vincla diurna fero, nocte iubente vagor.
Reddit verba lupus: Non est mihi copia tanti,
Ut fieri servus ventris amore velim.
Ditior est liber mendicus divite servo:
Nec se servus habet nec sua, liber habet.
Libertas praedulce bonum bona cetera condit,
Qua nisi conditur, non sapit esca mihi.
Libertas animi cibus est et vera voluptas,
Qua qui dives erit, ditior esse nequit.
Nolo velle meum pro turpi vendere lucro:
Has qui vendit opes, hic agit ut sit inops. —
Non bene pro toto libertas venditur auro,
Hoc caeleste bonum praeterit orbis opes.

LV.

DE MANIBUS ET PEDIBUS.

Incusant avidi pes et manus otia ventris:
Omnia solus habes lucra labore carens.
Nos labor edomuit, te fovit inertia: sorbes
Omnia, quae nostri cura laboris emit.
Disce pati famis acre iugum vel disce labori
Credere teque tui cura laboris alat.
Sic ventri servire negant. Se venter inanem
Comperit, orat opem: nil dat avara manus.
Ille preces iterat, iterum fugit illa precantem:
In stomachi fundo torpet obitque calor.
Victa fame natura fugit, vis arida fauces
Obserat et solitum non sinit ire cibum.
Vult epulas dare sera manus, sed corporis aegri
Perdita non reparans machina tota perit. —
Nemo sibi satis est, eget omnis amicus amico:
Si non vis aliis parcere, parce tibi.

LVI.

DE SIMIA ET VULPE.

Simia de turpi queritur nate, porrigit aurem
Vulpes nec recipit mente, sed aure preces.

9. Reddat *E.* non te dedignor amicum *Br.* — 14. n. silente *St. Br.* — 15. Verba l. r. *N. H.* — 18. Nec sua servus habet (*i. m.* Servus nec se habet) *E.* Servus habet nec se *B. St. N. F. H.* servus homo nec se *Br.* sed sua *B.* — 20. condita *St. Br.* nil *E. N.* — 22. quis *E.* — 23. Nolle velle *E. V.* — 24. facit *B. G.* —

LV. 2. cares *St. Br. F.* (carens *L. A.*) — 5. laboris *E.* — 6. Cedere *St. F. H.* (Credere *V. L. A.*). Te dare *Br.* alet *Br.* — 9. negat illa precanti *St. Br.* rogantem *B.* petentem (*suprascr.* precantem) *Π.* — 10. Et *B. V.* fundus *B.* — 12. ut - sinat *E. F.* (et - sinit *L*). — 14. reparat *B. L.* repetens *P.* — 15. satis eget *E. V.* — 16 vis *om. B.* alii *F.* (aliis *G. V.*) —

LVI. 1. pro *B.* aures *E. F.* — 2. non *B. N. F. H.* (nec *G. L. A.*) —

Simia sic fatur: Natis ut mihi dedecus ornem,
Sufficiat caudae pars mihi parva tuae.
Quid prodest nimia campos insculpere cauda?
Quod mihi prodesset, est tibi pondus iners.
Illa refert: Damnas nimio de pondere caudam.
Est brevis estque levis: haec duo damna queror.
Malo verrat humum quam sit tibi causa decoris,
Quam tegat immundas res bene munda nates. —
Id nimium nimioque magis ditaret egenum,
Quod nimium nimio credis, avare, minus.

LVII.

DE INSTITORE ET ASINO.

Dum fora festinus lucro petit, instat asello
Institor et pressum pondere fuste premit.
Ille necem sperat nece promittente quietem,
Sed nece completa vivere poena potest.
Nam cribella facit et tympana pellis aselli:
Hic lassatur et haec pulsa tonante manu. —
Cui sua vita nocet, caveat sibi rumpere vitam:
Non nece sed meriti iure quiescit homo.

LVIII.

DE CERVO ET BOVE.

Motus voce canum cervus fugit, avia silvae
Deserit, arva tenet, claustra bovina subit.
Bos ait: aut luci tenebras aut aequora campi
Tutius intrares hinc piger inde levis.
Huc veniet custosque boum stabulique magister:
Si duo vel tantum te videt alter, obis.
Cervus ait: Mihi vestra necem clementia demat,
Condite me latebris, dum iuvat umbra fugam.
Hunc tumulant foeno. Praesepe revisit arator,
Frondibus et foeno munit alitque boves.
Hic abit, at cervus vitasse pericula gaudens
Bobus agit grates, e quibus unus ait:
Est leve vitare caecum: si venerit Argus,
